

Q. 7 Consultazione

Digitized by Google

DE
MONETIS
ITALIÆ.
PARS QUARTA.

Digitized by Google

DE
MONETIS
ITALIÆ
VARIORUM ILLUSTRIUM VIRORUM
DISSERTATIONES,

Quarum pars nunc primùm in lucem prodit.

PHILIPPUS ARGELATUS
BONONIENSIS

Collegit, recenſuit, auxit, necnon Indicibus locupletiſſimis exornavit.



MEDIOLANI, MDCCLII.

PROSTANT IN REGIA CURIA IN ÆDIBUS PALATINIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

1. y. 44.6

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS S. P. D.

CUm ad hanc rei nummariæ Scriptorum Collectionem, nescio quo fato, manum admoverem eo tempore, quo ad alia majoris momenti, quibus assiduè incumbo, cogitarem, nil aliud menti proposueram, quam ut seriem integram, si fieri potuisset, Nummorum omnium, qui per universam Italiam nostram cusi fuere sæculis mediæ, quam vocant ætatis, usque ad XVI. inclusivè, ad eruditissimæ Dissertationis Muratorianæ illustrationem, ac supplementum, continuarem; sed cognito meo consilio, quod ante Operis editionem proposueram, ut frequenter accidere solet, plures docti Viri (a) *non contenti Nummorum figuris, quibusque temporibus, & apud quos Principes, vel Respublicas cusi fuere a nostra serie per otium noviſſe, nonnulli eorum, alii per literas urgere me cœperunt, ut de illorum valore per varia tempora, & de causis augmenti Monetarum, quod in tantam enormitatem in dies ascendit, aliquid addere vellem, ideoque majorem utilitatem legentibus inferrem, & in negotio, quo gravius nullum fortasse ubique locorum hoc tempore, secundis curis gratiam universorum labore meo conciliarem.*

Reponebam ego: argumentum hoc, etsi perdifficile, ab aliis pluribus fuisse tractatum Philosophis, Mathematicis, Jureconsultis, Ratiocinatoribus, ac ipsis denique Negotiatoribus; nam singuli præ ceteris convenire sibi maximè contendunt, summaque industria proposita fuisse remedia, ne Monetarum valor in posterum sit immutandus, at frustra; quod malum uni tantum causæ tribuant, quando a pluribus fortasse derivatur, atque hinc difficultas remedii proponendi, quod adversùs vim causarum omnium juvare possit: Sunt equidem recentiores inter, qui clament necessarium esse ne Principes ex jure cudendæ Monetæ lucrifaciant, vel Magistros Monetarios lucrifacere permittant, ne minimum quidem ultra necessarias expensas, œconomicè pariter erogandas; invictis namque argumentis demonstratum Principibus nihil esse utilitatis ab eo lucro: quidquid enim lucrifecerint in cudenda Moneta, totum, & multo amplius ab Ærario suo detrahi necesse est, in quod Monetæ inferuntur, quæ sincerum ac genuinum valorem excedunt. Asserunt Negotiatores non tantùm, sed omnes alii, qui ad bonum Reipublicæ serio cogitant, neque injuria, idem esse de re Monetaria tractari, ac de Commercio instaurando, ob eamque causam, nisi Vectigalia saltem ad tempus imminuantur, inutilem esse disceptationem, neque malum reparari posse, quod Regnum, Rempublicamque, & Privatos omnes trahit in præceps.

Hæc & alia plura, veluti certatim a majoribus nostris, observata, quæ longum esset recensere, dicebam ego, scripta fuisse ab optimis, doctissimisque Viris, plura etiam sanctissimorum Principum providentiâ tentata fuisse remedia, neque malo tam gravi, immo gravissimo, finem hactenus impositum nihilominus nos dolere, ac de in posterum inveniendo esse propemodum desperandum. Sed non acquieverunt Amici, & me invitum coëgerunt ad hanc etiam rei nummariæ partem pro viribus ornandam, collectis selectioribus Dissertationibus

(a) Ludovicus Antonius Muratorius, Apostolus Zenus, Joseph Antonius Saxius, P. Ferdinandus Schiavini, Canonicus Joannes Jacobus Amadeus, aliique.

Digitized by Google

de valore Monetarum, iisque vel iterum vulgatis, vel nunc primùm in lucem editis, non omnibus tamen, quod forsan optasset eruditissimus Auctor Libri nuper impressi (b), *quod si facere instituissem, plusquam biscentum Volumina implere debuissem; neque mireris velim: tanta enim est copia librorum in hac materia, quam omnes Europæ Nationes pertractarunt, ut immo Bibliothecam instruere possis, quod apparebit ab Elencho Auctorum, quorum sola Nomina, ac Titulos eorum Operum collegi, & Deo juvante, in calce nostræ Collectionis recitabo, curiositati tuæ, Lector humanissime, maximam Tomi partem dicaturus, unde mecum argumentari possis in tanta varietate opinionum, vel absconditas adhuc esse mali causas, vel nondum inventa opportuna remedia, itaut fateri debeam verissima esse, quæ doctus Amicus per jocum non semel dixerat, duo a Literatis Viris tractata eadem sorte fuisse argumenta per immanem librorum farraginem, de Turcarum scilicet Imperio evertendo, ac de Monetarum justo valore servando, utrumque infeliciter adeo, ut dum scribimus hostes publici sæviant immanius, & suæ dominationis fines, frustra nitentibus nobis, latius protelare patiamur. At ad nostra redeamus.*

Complementum Dissertationis Muratorianæ, *quod initio mihi proposueram, facilè dedissem, ordinem sequutus, quem Vir Clarissimus designaverat, si contentus fuissem numero Monetarum, quas ex Variorum Dissertationibus denuo recusis, iterum ad Muratorianas accedere volui, aliisque pluribus, quarum imagines in lucem publicam nondum venerunt, atque ut ad singulos, qui juvarunt labores nostros, debitus honos habeatur, accipe unde habuimus ea, quæ tibi libenti animo communicamus. Monetarum veterum imagines accepimus nonnullas a Viro Clarissimo* Josepho Antonio Pintio *in Appendice ad suam eruditissimam Dissertationem* de Nummis Ravennatibus, *quam in hac nostræ Collectionis Parte IV. nunc primùm imprimendam humanissime dedit. Alias plusquam centum numero Italicorum pariter Numismatum, quæ nusquam antea prolata fuerant ex Musæo* Vincentii Bellini *accepimus; neque minoris momenti sunt alia, quæ a doctissimo* Dominico Maria Mannio *subministrata fuere. Amborum tamen Bellini, & Mannii de Republica Literaria benemeritorum hominum præstantissimas Dissertationes in V. Parte Collectionis habebis. Et hæc quidem ad Muratorianæ Dissertationis complementum pertinent.*

Alia nunc recensebo, quæ nostram in potestatem venerunt ad morem potius gerendum Amicis, quam ex proposito voluntatis, neque me tamen pœnitet Doctorum Virorum consilia sequutum fuisse; nam in hac etiam Parte bene arrisit fortuna. Meliora enim, tibique gratiora, sperare non poteram quam quæ ultro contulit celeberrimus, præstantissimusque Vir Antonius Franciscus Gorius *diligentia sua e tenebris eruta.* Joannis Villanii *scilicet Historiographi Florentini, cujus nomen satis proferre fuerit ad commendationem, Tractatum nempe de Floreni Aurei origine, præstantia, & valore, ad quem in hanc usque diem nemo, quod sciam, appellavit.* Claudii Boissinii *Cancellarii Florentini ejusdem argumenti librum alterum, quibus profecto Monumentis, nisi lux, quam caligantes optamus, hodie appareat, nescio unde sperare possimus. Quid dicam de Lectione Academica celeberrimi* Bernardi Davanzati *de Moneta, quam ab ipsius Autographo in integrum restitutam, unà cum ejusdem,*

(b) Cui titulus = *Dell' Origine, e del Commercio della Moneta, e dell' Instituzione delle Zecche d'Italia, dalla decadenza dell' Impero fino al Secolo decimosettimo. All' Haja, 1751. in 4.*

Digitized by Google

& Antonii Mariæ Salvini *Adnotationibus, imprimendam, ut factum est in hoc Tomo, humanissimè subministravit? His omnibus Clariss. Gorius præfixit Epistolam suam ad me summa cum benignitate scriptam, qualem ab homine doctissimo, & antiquitatis peritiâ nemini secundo poteram expectare. Coronidis tandem loco* Excerpta *duo ex forensibus Dissertationibus, quas* Vota *nuncupare solent Jurisconsulti,* Francisci *nempe* Fabrini, *atque* Antonii Graffioni *de valore Floreni Aurei, quæ impressa volui; lucem namque aliquam prioribus documentis afferre posse in tui commodum putavi.*

Habes tandem in hoc Tomo Gasparis Scaruffi *Alitinonphum, unà cum Considerationibus, & Notis* Bernardini Pratisolii: *opus quidem perutile, ac raritate sua dignissimum ut recuderetur, quod optare se monuit Auctor eruditissimus in suo libro* (c), *sed in eam ego sententiam ire non potcram, quod extra chorum evagari nollem, & libri moles partem maximam prioris Tomi erat occupatura; tanti tamen facio consilia celebratorum Virorum, quos inter eminet acutissimus Auctor, ut vinci me tandem sim passus; maximè quod Scaruffus, & Pratisolius Rhegienses, primi fortasse fuerint, saltem inter nostrates, qui Tabulas ponderis, & valoris Monetarum Auri, & Argenti legentium oculis suppossuerunt, quo facilius vitia suis etiam temporibus in re Monetaria crassantia notari possent, ac facile propulsari. In iis vero comparandis hoc etiam emolumenti feci ob amicam operam eruditi Viri Abbatis* Peregrini Salandri, *qui Pratisolii Autographum ipsum ætate Auctoris jam prælo paratum transmisit, quo præsidio correctior quam antea, & nonnullis etiam in locis auctior prodire possit, itaque gaudeo me gratiam initurum apud commendatissimum Auctorem Libri superius nominati, simulque placere posse ornatissimo Viro* Horatio Blanco *Prætori nostro, quo cum de Literatis hisce laboribus meis conferre soleo quam utiliter; is enim altera, quam præposuram habes, Epistola de re nummaria pauca, sed quæ eruditioni suæ respondent, familiariter scripsit. In calce tandem hujus Quartæ Partis meæ Collectionis libenti animo nonnullis veteribus* Monumentis *de re nummaria Patriæ meæ carissimæ locum dedi, quorum præstantiam, vel a solo titulorum Elencho æstimabis; ob eamque rem, Lector humanissime, non mihi tantùm, sed & Civibus iis, qui ex vetusto Archivo nostro ea primitus extraxere, gratiam te habiturum esse non dubito.*

Hisce omnibus prænarratis monitum te volo, me aliis gravioribus curis occupatum nullam aliam Partem quam Quinctam, quæ sub prælo jam est, additurum, nam si similia conquirere vellem ulterius, res in infinitum excurreret, ab ea vero componenda temperare non poteram, quod cura literatissimi Viri, cui multis nominibus plurimum debeo, Clariss. Geminiani Montenarii *Opus integrum edendum habui; etsi enim partem aliquam emiserim, qualem tunc temporis nactus fueram, celebratissimi Viri memoriam honore debito fraudare scrupulus erat, immo Collectionem hanc pretiosiori gemma destitutam relinquere; Opus enim istud meo quidem judicio instar est omnium, & si* Montenarius *ad remedium præstandum non profuerit, ceterorum lectioni profecto parcendum. Tandem ut aliquando calamum deponam alia molesta nimis est causa ingravescentis ætatis, ob quam animo non satis vires respondeant, propteraque me felicem, ac beatum reputabo, si quæ sub prælo sunt, vel quæ designavi, ad calcem perducere possim. Tu hæc interim gratanter accipe, & Vale.*

(c) Titulum ejusdem jam supra dedimus.

ELENCHUS
PARTIS HUJUS QUARTÆ.

JOSEPHI ANTONII PINCII Appendix ad ſui ipſius Diſſertationem de Nummis Ravennatibus. Pag. 1

Præſtantiſſimi Viri JOANNIS VILLANII hiſtoriographi Florentini, cudendæ Monetæ cum *Gerardo Gentili* Præpoſiti, de Aurei Floreni Florentini origine, præſtantia, & valore per varias temporum vices, cum Signis, & Emblematibus, quæ in ipſis inſpiciuntur, ex Codice Autographo nunc primùm in lucem edito. Præfigitur Tabula Nummaria Muſæi *Victorii*, cum ejuſdem Præluſione. 21

De valore Floreni Aurei Florentini Commentarius, Auctore CLAUDIO BOISSINIO, Montis Communis Florentiæ Cancellario; ex Codice autographo prima vice in publicum profertur. 73

EXCERPTA ex Voto Florentini Aurei Legati J. U. C. FRANCISCI FABRINI Supremi Magiſtratus Cancellarii, necnon ex annuæ præſtationis Florenorum Aureorum *Diſceptatione juridica* J. C. ANTONII GRAFFIONI. 143

Cl. Viri BERNARDI DAVANZATI Florentini *Lectio Academica de Monetis*, poſt alias editiones nunc primùm ex Codice manu ipſius Auctoris conſcripto auctior, & emendatior in lucem emittitur, unà cum ejuſdem DAVANZATI, & ANTONII MARIÆ SALVINI Annotationibus. 157

'ΑΛΗΘΙΝΟΝΦΩΣ, ſeu ALITINONPHUS GASPARIS SCARUFFI Rhegienſis. Opus ad rem Monetariam perutile denuo recuſum, & a mendis expurgatum, unà cum BERNARDINI PRATISOLII item Rhegienſis in eundem Alitinonphum *Conſiderationes*, & *Notæ* nunc ab ipſius Autographo correctiores publici juris factæ. 169

ANTIQUA MONUMENTA ad rem Monetariam Bononienſem ſpectantia ex vetuſtiſſimo ejuſdem Urbis Archivo deprompta, & nunc primùm in lucem prolata; nempe 303

I. PRIVILEGIUM Bononienſibus conceſſum per HENRICUM VI. Romanorum Imperatorem pro cudenda Moneta. Datum Bononiæ III. Idus Februarii Anni MCXCI. 305

II. FORMULA JURAMENTI per Conductores Officinæ Monetariæ Bononienſis tradendi pro Anno MCCXIX. 306

III. PROVISIO Communis Bononienſis de An. MCCCIIC. pro recudenda Moneta. 309

IV. PROVISIO Capitalis Locationis Regiminum Bononiæ factæ ſuper facto Cechæ Monetarum Bononienſium, Anno MCCCCLXIV. die IV. Aprilis tempore Domini *Pii Papæ* Secundi. 311

V. *Documenta* varia circa Monetarum valorem, & verſum ex pluribus Actis deprompta, ad quorum Coronidem Decretum celeberrimi CARDINALIS PALÆOTI datum Anno MDLXXXI. de quantitate pecuniæ pro Miſſis celebrandis ſolvenda exhibetur. 320

VI. DISCURSUS de Moneta cuſa in Cecha Bononienſi, & de modo ſolvendi debita antiqua cum Monetis majoris valoris pro ipſarum aumentatione. 323

JOSEPHI ANTONII PINTII

APPENDIX

AD DISSERTATIONEM

DE

NUMMIS RAVENNATIBUS.

Affert vetuſtas in rebus longinquâ obſervatione incredibilem ſcientiam. Cic. de Divin. lib. I.

HANNIBALI
COMITI GINNANIO
PATRICIO RAVENNATI

JOS. ANTONIUS PINTIUS
S. P. D.

I.

EA eſt illorum conditio, qui edendis, illuſtrandiſque ſacræ vetuſtatis monimentis dant operam, Hannibal Comes ornatiſſime, ut nova in dies detegantur, atque, ut feſtivus inquit Vates, in apricum proferat ætas, quæ non modicam lucem tenebricoſis eruditorum opinionibus impertiantur: quo ſæpe fit, ut quæ antea in dubium revocarentur, ac de quibus diſputaretur acriter, vel unico reperto monimento ſtabiliantur. Quum enim, teſte *Tullio*, veritas in occulto latere ſoleat (*a*), verique inquiſitio, ac veſtigatio hominis propria ſit, ac peculiaris (*b*), iis rebus acquieſcere confeſtim debet animus, quibus error omnis, ac dubitatio tollatur. Eliminanda enim e doctorum cœtibus jurgia, abjiciendæ contentiones, depellenda ſophiſmata, ne tempus, operamque optimis debitam diſciplinis præripientes, tenebras, ac nugas conſectemur. Utinam id Majores noſtri feciſſent! non enim tot numiſmata, lapides, ſigna, atque ejuſmodi cælaturas, quibus Hiſtoria juvatur plurimùm, interire ſiniſſent, ut in *vacuarum* rerum contemplatione verſarentur. Neque vero id dico, ut invidiam conflem alicui, inanemque apud noſtrates gloriolam aucuper; ſed ut æquiore animo ea excipiantur, quæ publici juris facturus ſum. Quum enim in ea, quam *Jacobo Cardinali Oddo* Viterbienſium Antiſtiti, cujus memoriam apud nos meritorum nulla unquam delebit oblivio, inſcripſi Diſſertatione, nonnulli aufugerint Nummi, qui ſuperioribus diebus a Cl. Viris *Petro Paulo Ginannio Caſinatium Præſide gentili tuo*, ac *Jano Planco Ariminenſi*, quorum humanitati plura debeo, atque ab aliis communicati mecum ſunt (ejuſmodi enim ſupellectile in hac mea tenuitate fortunæ carere me omnino ingenuè fateor), non abs re fore putavi, ſi epiſtola hac illuſtrarentur, quam ideo tibi nuncupandam duxi, quod te neminem Patriæ, meique amantiorem cognoverim: novas enim in animo eſt addere ad Patricios Viros epiſtolas, ſi qua ad nummariam Ravennatium rem pertinentia deinceps occurrant, ut opuſculum ſuapte natura inelegans, ac leve ad perfectionem, quantum per imbecillitatem licet, accedat. Id autem conſilii omnibus iis probatum iri confido, qui hominem norint ne leviter quidem aſſentationi inſervientem, probabitque in primis Cardinalis Ampliſſimus eorum nominibus ſcripta iſthæc mea ornari, quibus, nedum plebi, dum provinciam hanc moderaretur, acceptiſſimum fuiſſe plane intelligit. Sed de his ſatis. Age vero ad rem, de qua tractationem inſtituimus, deveniamus.

II.

Exſtat apud Petrum Paullum Præſidem Ginannium, atque in Claſſenſi Muſeo aureus Honorii nummus, quem nemo, quod ſciam, edidit, quamvis nonnullos illi ſimillimos obtulerint Auctores. In anteriori parte cernitur *Honorii caput cum corona gemmata, hacque inſcriptione* D N HONORIVS P F AVG: *in poſteriore vero adeſt figura militaris ſtans, dextra labarum, ſiniſtra victoriolam gerens, lævoque*

(*a*) Pro Cæl., & in Academ. Quæſt. l. 2.

(*b*) In epiſtolis non ſemel.

quæ pede captivum calcans cum literis R V. *ad latera, hacque inſcriptione* VICTORIA AVGGG. *In inferiori parte* CONOB. Hic nummus forma, typoque adeo ſimilis eſt nummo Conſtantii Comitis, quem ex Bimardio (*a*) retulimus, ut eodem tempore, iiſdemque de cauſſis cuſum arbitremur. Junge anticam nummi, quem ibidem (*b*) exhibuimus cum poſtica laudati nummi Conſtantii Comitis, poſterioris hujus modulo ſervato, nummumque, de quo loquimur, optime expreſſum habebis. Ad rem faciunt Bandurii verba (*c*) de Auguſtis in eo indicatis: *Profecto tres Auguſti fuere anno* 321. *a menſe Februario ad menſem Septembrem; tunc enim inter Principes numeratus eſt Conſtantius Gallæ Placidiæ Maritus, & probabile eſt mentionem factam fuiſſe in nummis*. Cur autem ad Ravennam illum referam, liquet ex iis, quæ de literis R V. copioſe omnino in Diſſertatione diſputata ſunt.

III.

Aſt quoniam de Conſtantio Comite ſermonem inſtitui, juvat advertere, quemdam ei nummum adſignaſſe Mediobarbum (*d*) ex Strada, cujus typus eſt hujuſmodi: Æ. D. N. CONSTANTIVS NOB. C. *Caput Principis cum corona radiata* VOT. *in laurea, infra* Γ. Verum ecquis non videat illum, ſi tamen genuinus ſit, ex turbido enim proſilit fonte, Conſtantio Chloro potius cum Bandurio eſſe tribuendum (*e*)? Rationem unam, vel alteram affero, ut quod Bandurius tantum attigit, clarius fiat. Prior ducitur ex typo, atque effigie, quæ Conſtantii Chlori eſſe videtur, minimeque cum Conſtantii Comitis nummo a Bimardio primum, deinde a nobis publici juris facto, congruere. Altera inde repetitur, quod Conſtantius Comes *Nobilis Cæſar* haud dici potuerit, quo tempore ſic tantum adpellabantur ii, qui nondum Socii in imperio cum eſſent, ad illud hæreditario veluti jure deſtinabantur. Reclamante autem Theodoſio juniore per vim quodammodo Conſtantius Comes ab Honorio Auguſtus renunciatus eſt. Perbelle autem *Nobilis Cæſar* dicitur Conſtantius Chlorus, qui ſic frequenter in nummis, nedum *Princeps Juventutis* vocari ſolebat. Quid ſi poſt Julianum Apoſtatam, qui *Nobilis Cæſar*, poſtque Fl. Gratianum (*f*), qui *Nobilis Puer* dictus eſt, in nullo numiſmate cernantur hæc verba? Mihi certe rem diligentiſſime inſtranti nullus occurrit. Miror autem Bimardium ad hanc rem minime reſpexiſſe: haud enim video, quomodo, quem ipſe primus exhibuit, Conſtantii Comitis nummus, de quo tamen ante in Gallicis Antiquitatibus ſcripſerat V. Cl. Scipio Marchio Maffæus, ad hunc Auguſtum pertineat. In hoc etiam peccavit, quod (*g*) Conſtantium in eo radiatum, cinctum corona cerni dixerit, quum gemmato ferto ornetur. Verum leviora hæc ſunt, quare vir de literis optime meritus traducatur. Nolim tamen quemquam, ut pro Conſtantio Comite ſtet, ea verba *Nob. C.* interpretari: *Nobilis Comes*, epigraphen eruditis, atque Antiquitati inauditam per nimiam pertinaciam obtrudens: de eo ſiquidem dici poſſet cum Horatio (*b*):

- - - - - - - - ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

IV.

Sed quoniam conjecturis indulgemus, opinari licet gamma adverſæ partis, ut in nummo Licinii Jumoris, græcum quid redolere, quod Conſtantio Comiti, cujus electionem ratam minime habuit Theodoſius, haud conveniat. Non ſum quidem neſcius a primis Imperii Romani temporibus inveniri Inſcriptiones latinas græce ſcriptas, inque Romanis monimentis, ac numiſmatibus, Græcorum, Latinorumque characteres ſuſque deque habitos fuiſſe. Id fatentur docuerunt Reineſius (*i*) ex Aringo, Fabrettus (*k*), Donius (*l*), Boldettus (*m*), Muratorius (*n*), ac Lupius (*o*). At ne a rebus noſtris recedamus, id ſubit advertere, Deltam quoque cerni in Heraclii nummo, Ravennæ Officinam liquido præſeferente, atque in altero Honorii, quem p. 18. exhibuimus hoc pacto Δ R V. Scripſit autem ad me ſummus quondam

(*a*) Tab. I. n. 4.) In noſtra vero editione adſunt
(*b*) Tab. I. n. 1.) in Tabula ad pag. 92. P. III.
(*c*) P. II. p. 540.
(*d*) In Occone auctо p. m. 532.
(*e*) Strada p. 209.
(*f*) Hoc titulo fortaſſis donatus eſt Fl. Gratianus, antequam anno 367. Auguſtus a Patre crearetur.
(*g*) Scienc. des Medaill. T. II. p. 383.
(*b*) Lib. IV. Od. 2.
(*i*) Cl. XX. 30 108 & 110.
(*k*) *Inſcr. Domeſt.* Cap. V. pag. 390. & ſeq.
(*l*) Inſcript. Cl. II. 158 p. 103.
(*m*) *Oſſervazioni* lib. I. c. 14.
(*n*) In Theſauro.
(*o*) Diſs. & Animadverſ. ad Severe Martyr. Epitaphium p. 61. & ſeq.

dam Vir Muratorius, quum conjecturas meas de eo communicassem, interpretari posse *Denarius Ravennæ*, aut *Ravennas*. Probabile id ne sit, aliorum esto judicium. Ego sane tanti Viri conjectura vehementer sum oblectatus, quæ cum mea opinione mirifice conveniebat.

V.

Inedito Honorii nummo alterum adjungimus, qui ideo oculos meos effugerat, quod male in Occone aucto non modo exprimatur, verum etiam ad annum 404., Historicorum fide posthabita, referatur, neque apud Banduriun, quo carebam, cernere ipse potuerim. Is Honorii decennalia, quæ anno 402 celebrata sunt, indicat hoc pacto: D N HONORIVS P F AVG *Imperator cum corona gemmata. Victoria seminuda thoraci insidens a dextris, sinistrorsum clypeo, quem una cum puerulo sustinet, inscribit* VOT X MVLT XX. *a dextris in area* R. *a sinistris* V. *in ima parte* COMOB. Bandur. Optime autem intelligemus, quid Victoria illa seminuda adversæ partis sibi velit, si hoc anno Gothos superasse Stiliconem ad Pollentiam advertamus, qui iterum pugna prope Veronam commissa devicti sunt, quod Alaricus percusso cum Stilicone fœderi haud stetisset. Ad rem faciunt Claudiani carmina, de his triumphis agentia (*a*):

Tu quoque non parum Getico Verona triumpho
Adjungis cumulum; nec plus Pollentia rebus
Contulit Ausoniis, aut mœnia vindicis Astæ.

Neque mirum cuipiam videri debet, hunc nummum per eos dies Ravennæ signatum fuisse: liquet enim ex Rubeo (*b*) anno 399. Honorium ibidem degisse, legesque sanxisse, queis caveretur, ne delubra Deorum, ad Urbium ornatum mire pertinentia, everterentur, quamvis eorum cultum acriter damnasset: anno vero 400. ibidem edicto extorres quosque liberasse, ut adversus Gothos, qui Alarico duce in Dalmatiam, Pannoniamque irruperant, easque diripiebant, uteretur. Digna certe hæc erant, quæ publicis monimentis consignarentur.

VI.

Præter hunc nummum, alterum describit Bandurius Honorii tricennalia referentem, in hoc ab eo diversum, quem dedimus Diss. nostræ pag. 98., quod adjunctam habeat epigraphen, quæ in eo deest: VICTORIA AVGVSTORVM. Iisdem autem verbis illustrari poterit, quæ ibidem habita sunt. Finem huic rei imponat Bandurius ipse, ubi (*c*) inquit: *Nummi omnes Honorii, in quibus votorum mentio fit, rari sunt, & desiderantur in Mediobarbo.*

VII.

Putabam, Hannibal suavissime, qui Occoni, ac Mediobarbo, ceteroquin perquam eruditos homines, novis curis edendo superioribus annis Mediolani studuere, in Honorii tantum nummis supplendis haud sollertes omnino fuisse: verum ubi videndi Bandurii copia mihi facta est, experimento comperi, in ceteris quoque Augustis, qui Ravennæ sederunt (neque enim de aliis modo curamus) indiligenter egisse, meque Amicorum usum opera, quoadusque librum propriis consulere oculis potuissem, deceptum esse. Quid mirum propterea, si telam veluti retexere non sine molestia cogamur. Galla igitur (*d*) Placidia agmen ducens cum ceteris Augustis in scenam iterum prodibit, sed ita perfunctorie, ut aliud prorsus agere videamur. In nummis autem describendis Bandurii verba, unde eos excerpsimus, ne leviter quidem immutabimus.

VIII.

Gallæ Placidiæ.

Aur. D N GALLA PLACIDIA P F AVG. *Caput Gallæ Placidiæ margaritis ornatum.*

SALVS REIPVBLICAE. *Victoria insidens spoliis a dextris, sinistrorsum utra-*

(*a*) Refert hæc quoque carmina Theseus a Cornu *Ravenna Dominante* p. 66., qui eorum primum, nedum chronologiam corrumpit.

(*b*) Hist. Rav. lib. II.

(*c*) P. II. p. 541.

(*d*) Qui cum Gallæ Placidiæ epigraphe nummi circumferuntur ad hanc Placidiam Valentiniani III. Matrem pertinere pluribus ostendi Dissert. p. 20. & 21. Bandurius tamen, qui mecum sentit, (quamvis ab eo, qui Occonem ac Mediobarbum notis illustravit, in errorem inductus, secus affirmarim) binas alias rationes suppeditat, quibus res clarior fiat. Ea ejus verba: *deinde Plac. Valentiani ætate Augusta Pia Felices appellari cœperunt, ut constat a nummis Æliæ Eudoxiæ, ac Honoriæ, cum nec Placilla, nec Ælia Eudoxia eo honoris titulo donatæ essent: postremo* R V. *in nummorum aureorum area nunquam ante Placidium Valentinianum occurrunt.* Verba ex Occone aucto, quibus deceptus sum habentur p. 520. in nota (1).

utraque manu tenet coronam, in qua nominis Chriſti monogramma. A dextris in area R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* CONOB. *e ſchedis de* C.

Eadem epigraphe. *Caput Gallæ Placidiæ cum diademate ex margaritis.*

(*a*) VOT XX MVLT XXX. *Victoria ſtans, dextra Crucem longiorem tenet, ſiniſtra ſtolam colligit cum ſtella in parte nummi ſuperiore. A dextris in area* A. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* CONOB.

Arg. DN GALLA PLACIDIA PF AVG. *Caput Gallæ Placidiæ, ut ſupra, cum Chriſti monogrammate ad humerum dextrum, & manu ex alto coronam capiti ejus imponente.*

SALVS REIPVBLICAE. *Typus ut ſupra: a dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Fauvel.

Placidii Valentiniani.

Aur. D N PLA VALENTINIANVS AVG. *Placidius Valentinianus cum corona ex gemmis ad pectus cum trabea dextrorſum, dextra tenet volumen, ut videtur, ſiniſtra Crucem.*

GLORIA ROMANORVM. *Figura galeata ſedens, dextra tenet coronam, ſiniſtra Crucem. A dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB.

DN VALENTINIANVS PF AVG. *Caput Placidii Valentiniani, corona ex lauro, & gemmis cinctum ad pectus cum paludamento, cum corona ex alto eminente.*

(*b*) VICTORIA AVGGG *Imperator habitu militari, dextro pede velut galeæ ſuperpoſito, Crucem oblongam tenet dextra, Victoriæ vero ſignum globo impoſitum ſiniſtra. A dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB.

Eadem epigraphe. *Caput Plac. Valentiniani corona gemmata redimitum ad pectus cum paludamento.*

VICTORIA AVGGG. *Imp. ſtans, dextra tenet Crucem, ſiniſtra globum cum victoriola. A dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. RE.

DN PLA VALENTINIANVS PP AVG. *Cætera ut ſupra.*

VICTORIA AVGVSTORVM. *Imperator ſtans cum labaro, & victoria orbi inſiſtente, pede lævo hoſtem proterit. A dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* CONOB. Regius.

A VALENTINIANVS PF AVG. *Caput Placidii Valentiniani corona ex margaritis cinctum ad pectus cum paludamento.*

VICTORIA AVGVSTORVM. *Victoria thoraci inſidens a dextris ſiniſtrorſum cum puerulo alato coram ſtante: in clypeo* VOT X MVLT XX. *a dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Farneſianus.

Liciniæ Eudoxiæ.

Aur. LICINIA EVDOXIA PF AVG. *Caput Eudoxiæ cum corona radiata, in cujus medio Crux a fronte, ab unaquaque parte capitis margaritæ uſque ad collum, quæ & ipſum collum ornant, ad pectus cum paludamento.*

(*c*) SALVS REIPVBLICAE. *Figura radiata ſedens, dextra tenet globum crucigerum, ſiniſtra Crucem longam. A dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Regius.

Gratæ Honoriæ.

Aur. D N GRATA HONORIA PF AVG. *Caput Honoriæ cum corona ex gemmis, cui altera corona imminet ad pectus ſtola, & cum monili circa collum, & inauribus.*

BONO

(*a*) Similem nummum retuli p. 21., ſed ſine Stella. Binos cum habeat Bandurius, omittendum haud duxi. In eo autem Honorii Fratris repræſentantur Vicennalia. Errat tamen Bandurius, cum inquit, in nummorum area ante Pl. Valentinianum literas R V. haud cerni. Vide nummos Honorii, de quibus ſupra, quorum plures eodem typo, vel faltem leviter mutato, ſed diverſis modulis ſervat Ginannius.

(*b*) *Tres Auguſtos fruſtra quæras Valentiniani ætate: quamobrem duobus Auguſtis adjungitur hujus vel Mater Placidia, vel Eudoxia Socrus.* Ita Bandurius. Quid ni potius Liciuia Eudoxia Uxor, vel in ipſius ſyſtemate Honoria Soror, quæ ex Oriente redux, Imperii partem ſibi a Fratre tradi petiit, ut mox patebit?

(*c*) Similem nummum ex Mediobarbo dederam cum litteris R M. Suppeditat modo alium Bandurius cum ſiglis R V. ad Ravennam, ut noſtra fert opinio, pertinentem.

(*a*) BONO REIPVBLICAE . *Victoria ſtans, dextra tenet Crucem longiorem, ſuperne ſtellula. A dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Regius .

Eadem epigraphe . *Caput Honoriæ , ut ſupra , cum crucicula ad humerum dextrum .*

BONO REIPVBLICAE. *Typus ut ſupra cum iiſdem litteris in area, & in ima parte* COMOB. Fontaine .

Eadem epigraphe . *Caput Honoriæ cum corona gemmata , ad pectus cum ſtola gemmata .*

(*b*) VOT XX MVLT XXX. *Victoria ſtans dextra tenet Crucem. A dextris in area* R. *in ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB Regius.

Flavii Julii Majorani .

Aur. DN IVLIAS (*ſic*) MAIORANVS PF AVG. *Majoranus cum ſtemmate criſtato ad pectus cum paludamento, dextra tenet ſpicalum , ſiniſtra clypeum , ut videtur .*

VICTORIA AVGGG. *Imperator paludatus , capite margaritis cinctо , dextra tenet Crucem longiorem , pede dextro draconem terens , ſiniſtra globum cum Victoria . A dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Fontaine, Farneſianus .

(*c*) VOTIS MVLTIS . *Imperatores duo ſedentes, dextra tenent volumen, ſiniſtra Crucem , inter utrumque* RV. *in ima parte* COMOB. Regius ,

Libii Severi .

Aur. DN LIB SEVERVS PF AVG. *Caput Libii Severi corona ex lauro, & gemmis cinctum ad pectus cum paludamento .*

(*d*) VICTORIA AVGGG. *Imperator paludatus , & coronatus , pede dextro draconem terens , dextra innititur Cruci longiori , ſiniſtra geſtat globum cum victoriola . In area a dextris* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. M. Decleves . Brandeburg .

DN LIB SEVERVS PF AVG. *Caput Libii Severi corona ex gemmis cinctum ad pectus cum paludamento .*

VICTORIA AVGGG. *Libius Severus paludatus, & coronatus , vultu a fronte , pede dextro veluti galeæ impoſito, cetera ut ſupra. A dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Fouc.

Arg. DN LIBIVS SEVERVS PF AVG. *Caput Libii Severi cum corona ex margaritis , & gemmis ad pectus cum paludamento .*

VICTORIA AVGGG. *Imp. paludatus a fronte , ſerpentis caput dextro pede conculcans , Cruci oblongæ adnititur dextra, victoriæ vero ſignum ſiniſtra: a dextris in area* R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Fouc.

Fl. Anthemii .

Arg. DN ANTHEMIVS PF AVG. *Anthemius cum galea criſtata a fronte, ad pectus cum lorica , dextra geſtat ſpiculum humero dextro , ſiniſtra clypeum , cui inſculptus equus .*

(*e*) SALVS REIPVBLICAE . *Auguſti duo ſtantes dextras jungunt, alter victoriæ ſignum globo impoſitum ſuſtinet: ſupra* PAX. (*f*) *intra coronam , cui crux*

(*a*) Epigraphe nova in nummis , quæ tamen Honoriæ mire convenit , quemadmodum & Auguſtæ titulus , ſi ea perpendantur , quæ in Diſſertatione habui pag. 23. & 24.

(*b*) Heic Valentiniani Fratris Vicennalia Vota deſignantur , quæ anno 450. ſoluta ſunt , quo tempore , Theodoſio extincto, in Italiam rediiſſe , unde poſt delibatam ſibi ab Eugenio virginitatem ejecta fuerat , *nuptias cum Attila pepigiſſe , Imperiumque velut hæreditarium affectaſſe* , ex Priſco in excerptis docet Banduriue P. II. p. 576.

(*c*) Cuſus fuit hic nummus , ut optime obſervat idem Bandurius, anno 458.: in adverſa enim parte Leo , & Majoranus Coſs. exprimuntur. Epigraphe nova eſt , votaque deſignantur pro utroque Principe ſuſcepta , dum Conſulatum auſpicarentur .

(*d*) Habes heic Leonem Orientis Imperatorem , Verinam ejus Conjugem , Severumque ipſum.

(*e*) *Jungere dextras majorum fuit ſalutatio , cujus cauſſam dicit Varro , Callimachum ſecutus , aſſerens omnem eorum honorem dextræ conſtitiſſe virtute , ob quam hac ſe venerabantur corporis parte* . Servius ad prim. Æneid. Conſule Balbini , ac Pupieni numiſmata cum epigraphe AMOR MVTVVS AVGG , & FIDES MVTVA AVGG , necnon Nervæ , in quibus legitur CONCORDIA EXERCITVVM cum duabus manibus ſimul junctis .

(*f*) Heic tamen ea pax innuitur , quæ Leonem inter , ac Romanos conciliata eſt , quod hi , eo inconſulto , Libium Severum Auguſtum renunciaſſent , unde tot ſimultates ortæ ſunt.

crux ſuperimpoſita eſt : a dextris in area R. *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Collegii.

Glycerii.

Aur. DN GLYCERIVS P F AVG. *Caput Glycerii cum diademate ex unionibus.*

(*a*) VICTORIA AVGG. *Imperator paludatus ſtans, dextra tenet longiorem Crucem, ſiniſtra victoriam globo inſiſtentem : a dextris in area* R *a ſiniſtris* V. *in ima parte* COMOB. Regius.

IX.

De Auguſtorum nummis ſatis, ut puto, locutus ſum. Adjicienda modo nonnulla ad Oſtrogothos Reges, atque ad Exarchos, quorum monetæ Capite II. & III. exhibitæ ſunt, pertinentia. Exterum quemdam, mediocris tamen eruditionis hominem, quamvis ipſe ſua plurimum jactet, dum apud nos verſaretur, non ſine cachinnis miratum eſſe intelligo, quod mihi exciderit ex ore, Artificis ſolertiam in Gothorum nummis haud omnino deſiderari, eoſque merito cum iis æquandos, qui eodem tempore in Græcia cuderentur. Id ſane non leviter animum perturbavit : diſplicet enim ejuſmodi Ardeliones, quorum potius deſpicienda, quam ullo pacto metuenda levitas eſt, quum in ipſa patria peregrinentur, de rebus, quas prorſus ignorant, veluti ex tripode pronunciare. Juvat tamen rem breviter expendere, ut cornicum oculos configamus. Duo præſertim ſunt, quæ elegantiores nummos, ab iis qui barbari dicuntur, omnino diſcriminent ; typus nempe graphice expreſſus, atque inſcriptionis nitor, quæ eiſdem inſculpi ſolet. Neutro horum carere Gothorum nummos docet inter cæteros Cl. Societatis Jeſu Presbyter Jobertus, cumque eo fatebuntur quotquot veritatis amore ducantur, neque nimio, ut noſter iſte Plautinus Thraſo, detrectandi genio indulgeant. Ita de eorundem typo is loquitur (*b*) : *Il ſe voit des Rois Goth, dont les Médailles ont paſſé juſqu' à nous, ſoit en bronze, ſoit en argent. Quelquefunes ne laiſſent pas d'avoir du rilief, & de la delicateſſe. Telles ſont celles* (vides de noſtris hæc Gothis loqui) *d'Athalaric, de Théodahat, de* Witigés, *de Totila, ou* (*c*) *Baduila, de Thejas* &c.

X.

De Inſcriptionibus autem hæc habet (*d*) *Le vulgaire des Curieux les appelle Gothiques* (agit Jobertus de Barbarorum linguis, quæ cernuntur in nummis), *mais c'eſt abuſer du nom, & faire tort aux Rois Gothe, du moins à certains d'eux, dont il nous reſte des Médailles, qui ont conſervé quelque choſe de la langue, & de la Majeſté Romaine. Telles ſont celles de Théodoric, d'Atalaric, de Théodahat, de Baduela, de* Witigés, *de Tejas, dont la fabrique eſt belle, le rilief conſiderable, & le caractére tout-à-fait Romain.*

XI.

Sed quid clariora quæramus ? Conſulat is, quæſo, quæ nos ipſi ex Caſſiodorio de Theodorico p. 30. ediſſeruimus, videbitque nil antiquius huic Regi fuiſſe, quam ut optima moneta conflaretur, in qua re vel ipſius tempore Reipublicæ, multoque etiam magis ſub Imperatoribus nonnunquam (*e*) peccatum eſſe, inficiabitur nemo. Qui igitur de pecuniæ integritate adeo laboravit, ejus ornatum, elegantiamque penitus oeglexiſſe putabimus ? quum hac præſertim ratione oſtendat apud Caſſiodorium optimis metallis utendum eſſe, quod iiſdem proprius vultus incideretur ? Pauca hoc loco

(*a*) Quo tempore Glycerius rerum potitus eſt, in Oriente Leo cum Verina Conjuge imperabat; unde modo duorum, modo trium Auguſtorum ortu in nummis mentio.

(*b*) Tom. I. p. 96.

(*c*) De Theodorici, ac Thejæ monetis, quæ opus erant, in Diſſertatione monuimus. De Totila vero ex Bimardo (ibidem p. 114.) hæc adnotanda ſuperſunt. *Le Roi des Oſtrogoths en Italie, que l'Hiſtoire appelle Totila, ne ſçauroit être le même, que celui qui eſt aſſéz conſtamment nommé Baduela, ou Baduila ſur les Médailles ; puiſque Totila ne monta ſur le Trône, qu'en l'an 541 de l'Ere Chrétienne, & que le nom de Baduela* DN BADVELA REX, *ſe trouve au revers des Médailles d'argent de l'Empereur Anaſtaſe, mort dès l'anné 518. Ainſi quoique Jornandes* (De Regnorum Succeſſione p. 66.) *donne le nom de Baduilla à Totila, on ne peut confondre ce Prince avec le Baduela, dont le nom eſt au revers d'Anaſtaſe ; & il me paroît plus vraiſemblable de croire, que le Baduela eſt un de ces Rois Barbares, qui s'étoient emparez de l'Illyrie, & de la Pannonie du tems de cet Empereur.*

(*d*) Ibidem p. 313.

(*e*) Conſulendus præſertim Savotus *De Nummis Antiqu.* apud Grævium Tom. XI. Cap. XII., & ſequ.

Digitized by Google

loco repetenda ſunt ex *Formula, qua Moneta committitur*, ut res, qua de agimus, evidentius conſtet (*a*): *Omnis quidem utilitas publica fideli debet actione compleri, quia totum vitioſum geritur, ubi conſcientiæ puritas non habetur. Tamen omnino monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noſter imprimitur, & generalis utilitas invenitur. Quidnam erit tutum, ſi noſtra peccetur effigie, & quod ſubjectus corde venerari debet, manu ſacrilega violare feſtinet?* Quod ſi Auctoribus Cenſor noſter minime fidem habeat, ſuis ipſe, quæſo, oculis credat, peritos, navoſque homines conſulat, tandemque aliquando ineptire deſinat, ne Plautino eum perfricandi ſale vel invito occaſionem præbeat.

XII.

Ast tantulæ rei nimis fortaſſe immorati ſumus. Age iter, non mala omnino carpetur alite urgeamus. Binos ex ære Juſtiniani nummos Ravennæ conflatos Cæſenæ nuper adeptus
1 ſum. Præfert alter hinc Auguſti caput, diademate redimitum, dextrorſum ſpectans, cum epigraphe DN IVSTINIANVS PP. Inde X, quam claudunt, ſecantque litteræ RAVEN.
2 Alterius vero nummi anterior pars cum priore mire convenit: poſterior autem columellam, ſive mavis cippum crucigerum exhibet, ad cujus latera annus vigeſimus ſignatur, cum Ravennæ nota in exergo. Si prior nummus annum, ut videtur, decimum, ex quo Juſtinianus imperare cœpit, reſpiciat, ſub Athalarico dubio procul percuſſus eſt; Theodorico enim Avo anno 526. mortuo, is, qui cum Amalaſunta Matre regni habenas moderabatur, Græco Imperatori religioſe obtemperavit, adeoque acceptæ conditioni, dum Italiæ regnum barbaris concederetur, ſtetit. Secundus vero nummus Imperii Juſtinianei annum vigeſimum præferens, quo tempore Totilas fuſus eſt, Gothorumque in Italia regnum omnino deletum, prodiit; cum anno enim 546. apprime congruit.

XIII.

Heraclii nummum octavum Imperii annum oſtendentem retuli p. 113. Alterum quoque, 3
quem monetæ officinatores (*b*) eodem anno ſignarunt, exhibeamus oportet, quem ideo in æs incidendum duxi, quod apud nullum editorem viderim, eumque tantum ibidem in nota, neque diligenter omnino, indicarim (*c*). Is ita ſe habet: *Tres Auguſtorum protomæ, ſi eam excipias, quæ a dextris eſt, Auguſtæ nimirum cruce carentis, ſine epigraphe*: ANNO VIII. K. *in medio nummo, cui ſupereminet crucicula. In ima parte* RAV. Percuſſus autem fuit anno 618. ſub Eleuterio Exarcho, in eoque Heraclius ipſe cernitur cum Martina Nepte, quam nefarie uxorem duxerat, cumque Heraclio Conſtantino Filio, quem anno 613. Imperii collegam declaraverat. Haud editum pariter nummum, vigeſimum primum Heraclii annum præferentem obtulit mihi ſuperioribus diebus Dominicus Montanarius, Civis Ravennas, cui 4
patriarum rerum cognitio nunquam non in deliciis fuit. *In anteriori latere Heraclii caput viſitur, læva crucigerum globum tenens, cum epigraphe adeo conſumta, ut Augur tantum Apollo legere queat. Quid gerat dextra, quonamque ſerto ornetur, ſtatui haud poteſt. In poſteriore parte, haud leviter quoque detrita, cernitur* M. *magnum cui adſtat crucicula, in exergo* RAV. *ad latera* ANNO XXI. Hoc anno alterum nummum, ſed typo diverſum Ravennæ pariter ſignatum fuiſſe, conſtat ex iis, quæ in Diſſertatione habita ſunt. Si autem quæras, cur Heraclio potius, quam alii cuiquam Auguſto adjudicandum cenſuerim, Auctores adito, qui præter Heraclium per ea tempora nullum Imperatorem vigeſimum regni annum prætergreſſum fuiſſe, clare docebunt.

(*a*) Qui monetariæ alicui Officinæ præeſſet, poſtquam IIIViri A. A. A. FF. deſiere, *Procuratorem Monetæ*, qui & *Præpoſitus Monetæ* a Marcellino, dictum fuiſſe, in Diſſertatione monuimus. Eorum autem Caput *Primicerium Monetariorum* vocatum fuiſſe, conſtat ex lapide apud Gruterum MLIIII. 10. Fortaſſe hic Primicerius Occidentalis Monetæ Honorii, Gothorumque temporibus Ravennæ degebat, ut & proinde lucem mutuentur, quæ ibidem commentati ſumus.

(*b*) Qui ſignandæ monetæ dant operam ita vocantur in marmore apud Gruterum LXXIV. Vide ſis quæ hac ſuper re diſſerit Bimardius (Scienc. des Medaill. P. II. p. 63.), ubi quid *ſignatores*, *ſuppoſitores*, *malleatores*, *flatores*, ſive *flaturarii auri*, & *argenti monetarii*, *exactores auri*, *argenti*, *æris* &c. edoceberis, & ſi conferas cum Raynaldi tabulis pag. Diſſertationis noſtræ 120., ubi ejuſmodi Officinatores memorantur, quam turpiter latinus ſermo jactaretur, perſpicies.

(*c*) Exſtat apud Reverendiſſimum Ginannium, & apud Coſtam Pictorem, ut me per litteras monuit doctiſſimus Plancus.

XIV.

Heraclii nummum tandem ſub Iſacio Ravennæ pariter conflatum, quo anno exceſſit e vita, miſit Janus Plancus ex Baptiſtæ Coſtæ cimeliis. Hoc differt ab eorum typo, quos tabula III. ad eundem annum XXX. pertinentes, publici juris feci, quod unius tantum Auguſti protomen præferat, quam male ita accepit vetuſtas, ut diſcerni nullo modo queat. Facit poſterior nummi pars, quæ cum ceteris Heraclii nummis mire convenit, annuſque triceſimus, ut proprio veluti jure huic Imperatori tribuendum putem. Non inficior tamen in Auguſtorum nummis ſequioris ævi invicem ſecernendis, facillimum eſſe in errorem induci; qua in re ut minus peccem, dubitanter heic quatuor nummos deſcribam, quorum prior apud eruditiſſimum Ginannium, ſequentes duo apud laudatum Coſtam, quartus vero apud Dominicum Pollacinium Patricium Cæſenatem exſtat. Ii certe aliquem Heracliano ortum genere reſpiciunt, prioreſque duo Conſtantinum fortaſſe Pogonatum, qui paſſim ſpiculum geſtans in numiſmatibus expreſſus fuit. Tertius non itidem, quod Auguſtus eidem inſculptus haud prolixam barbam præferat, unde is Pogonatus dictus eſt. Quas indicet poſterior nummus (binæ enim Auguſtæ videntur) ne ipſe quidem cælator, ſi ad vitam revocaretur, edocere fortaſſe nos poſſet. Mi' ſat erit, ſi quod propriis uſurparim oculis, palam fecero.

Æ. *Heraclii protome cum epigraphe omnino deleta.*

ANNO XXX. M *magno intermedio: inter crura* E: *in exergo* RAV.

Æ. *Imperator cum corona gemmata, ſpiculum geſtans ad ſiniſtrum humerum cum inſcriptione omnino conſumpta.*

M *magno intermedio, cui ſupereminet* I. *in imo* RAV. *nonnullis ad latera adhuc exſtantibus literis, quarum ſenſus omnino ignotus.*

Æ. *Auguſtus, ut videtur, ſpiculum ad dextrum humerum gerens, ſed ita male habitus, fruſtra ut oris lineamenta, ornatuſque capitis requiratur.*

M *magno intermedio. In imo* RAV.

Æ. *Binæ Auguſtarum protomæ, quarum capita diſtinguit Crux.*

M *magnum cui eminet crucicula. In inferiori parte* RAV. *Ad latera duarum figurarum veſtigia.*

Imperatorum nummis finem facient bini alii nummi, quorum alter ad Conſtantini Pogonati ſecundum, vel tertium annum ſpectat, alter ignotus eſt. Ii ita ſe habent:

DN CONSTANTINVS PP. *Imperator globum crucigerum tenens:*

M *magnum intermedium cum crucicula. In imo* RAV. *Differt autem ab eo, quem Diſſertationis noſtræ Tab. III. dedimus, quod inter* M *crura non littera* E, *ſed* A *cernatur.*

Binæ Auguſtorum protomæ, ſenis nempe, ac pueri, quas crucicula invicem diſtinguit.

M *magnum, ad cujus latera duo ſtantes, ut videntur, paludati. In imo* RAV.

XV.

Auguſtorum nummis argenteam monetam ſubjiciendam cenſeo, ad Ravennates Archiepiſcopos dubio procul ſpectantem, in cujus anteriori parte *Divus Apollinaris ſtans, cujus caput binæ claudunt ſtellæ, cernitur, pontificali habitu indutus, ſiniſtra pedum tenens, ac dextra, ut ajunt, benedicens, cum mithra, pallio, atque epigraphe* ARCHIEP. *In poſteriore vero Crux, quæ duabus aliis ſtellis diſtinguitur, addita crucicula veluti ex altera erumpente, cum inſcriptione* DE RAVENA (*a*). Pallium nullo pacto Apollinari convenit, quum ſæculo tantum Chriſti V. apud nos obtinuerit, de qua re plura cum veritate pugnantia Scriptores noſtri tradidere. Verùm in more poſitum eſt apud Pictores, Sculptoreſque, ut nulla temporum ratione habita, vetera cum novis ornamentis permiſceant, ac mire vetitati fucum faciant. Ejuſmodi autem monetas typo, atque epigraphe inelegantes, quo tempore Exarchorum nomine, ac poteſtate donarentur, percuſſiſſe Ravennæ Antiſtites, monuimus in V. Diſſertationis Capite p. 76 Quid vero ſibi velint eæ ſtellæ, quæ fortaſſis etiam ad ornatum poni potuerunt, indicavimus, ubi de Gothorum Regum nummis cum epigraphe RAVENNA FELIX capite ſecundo ageremus: non enim aſtriferorum numiſmatum explicandorum

(*a*) Hunc nummum menſibus proximis ſuperioribus adeptus eſt Cl. Ginannius, qui ſtatim ad me miſit, ut Diſſertationi inſererem, eumque illuſtrarem,

dorum provinciam ſumſimus. Ad utrumque certe Imperium, Orientis nempe, atque Occidentis deſignandum haud inepte revocari poſſunt. De Cruce vero paullo erit poſt ſermo inſtituendus, ubi Eccleſiæ noſtræ Stemma eſſe demonſtrabimus (*a*). Omnia autem perbelle conveniunt, ſi ab Sacris in Palæſtinam expeditionibus ſtemmatum uſum derivemus. Profectus eſt enim Godefridus Bolionius anno 1096, quo ſane tempore rebus etiam præerant publicis noſtri Archiepiſcopi.

XVI.

Conjecturæ favent plurimum Scriptorum, ac Pontificum Auguſtorumque Diplomata, quibus ſive Ravennatium Antiſtites ad Regnum Hieroſolymorum legati ſunt, ſive internuncii, duceſve in Sacris Bellis declarati, qui complures propterea in iiſdem expeditionibus militaturos Cruce ornarunt. Conſtat id de Gerardo, qui anno Chriſti 1180 (*b*) Pontificius Legatus, ac Venetæ Claſſis Imperator in Orientem contendit; de Adalberto ejus Succeſſore, qui eodem Ducis munere functus eſt; de Ubaldo, qui conſcribendorum militum facta ſibi ab Innocentio III. poteſtate, Bononiam ſe contulit, ut auxiliarias copias conſequeretur, ac demum de Thederico, qui poſtquam multum cum Gregorio IX. in adminiſtratione Belli Sacri tractanda inſudaſſet, ejus Legatus, ac Friderici Imperatoris, qui per eos dies Reate degebat, internuncius creatus eſt: quamvis poſtmodum, quo in Gregorium ferebatur odio Princeps ſceleſtiſſimus, eum in carcerem conjecerit, multiſque affecerit calamitatibus, quas fortiter, ſapienterque ſuſtinuit Thedericus. Ut tanto autem noſtrorum Antiſtitum in Catholicam Religionem ſtudio gratificarentur Pontifices, quid mirum, ſi ea diplomata emiſerint, quæ Diſſertationis noſtræ Cap. IV. p. 118 indicavimus, quibus vetera Ravennatis Eccleſiæ privilegia confirmarentur, illudque in primis de Moneta cudenda, cui conflandæ ſub Innocentio V. operam dediſſe Bonifacium Fliſchium, qui anno 1274 ſedem obtinuit, quam rem in Diſſertatione minime animadverteram, ferunt Hiſtorici (*c*). Si quis autem contendat Denarium, quo de agitur, cum duobus aliis ibidem poſitis ad hoſce Præſules omnino pertinere, haud repugnaverim: re enim diligentius perpenſa, ſæculum Chriſti XIII., vel ad ſummum XII. minime anteire videntur. Si vero recentiores eſſe ſtatuat, caveat, quæſo, ne rem ad vivum nimis reſecare videatur.

XVII.

Ad eoſdem Antiſtites (*d*) pertinet denarius argenteus, quem poſtertore loco poſuimus. [13] *Hunc præfert Ravennatis Eccleſiæ Stemma, Crucem nempe argenteam, brachio cujus dextro Columba inſidet dextrorſum ſpectans cum epigraphe:* ECLESIE RAVENE. *E ſcuto altera Crux erumpit, quæ illud bifariam dividit. Inde vero cernitur Ravennæ Urbis inſigne, Pinus videlicet eradicata, ad cujus latera bini Leones erecti, quos claudit inſcriptio* ANTIQVE RAVENE. Ut in primis nonnulla de anteriori parte dicamus, illud compertum eſt omnibus, jam inde a Conſtantino Magno nummos triumphali Chriſti ſigno ornare ſolitos fuiſſe Auguſtos, ſi impium illum Julianum excipias, qui a Fide defecit. Non minus enim illud labaro, ſcutis, militumque galeis, ut narrat (*e*) Prudentius, præfigi juſſit Conſtantinus; verum etiam, teſte (*f*) Sozomeno, nummis inſculpi voluit. Hinc factum eſt, ut innumeri pene crucigeri nummi in eruditorum cimeliis ſerventur, qui Romanorum Pontificum, Auguſtorum, Regum, ac Principum cujuſvis ordinis, ſexuſve in Chriſtum pietatem teſtentur.

XVIII.

Verùm non in iis modo, ut marmora, tabulas, ac ſigna prætermittamus, ſed in ſtemmatibus quoque ab eorum exordio hæc ſalutaris Arbor occurrit, in primiſque in eo Ravennatis Eccleſiæ, quæ Græco, ac cum ceteris minime communi nomine Ἁγία Ἀναστασις adpellata, Chriſto Reſurgenti dicata fuit. Aſt cur Co-

(*a*) In ſigillis Epiſcopos gentilitiis ſcutis jam inde a Thoma Beluacenſi anno 1289. uſos eſſe, quod ad rem arbitror pertinere, docet Mabillonius *de Re Diplom.* lib. II. C. XV. num. II., quam conſuetudinem vix ante annos quadraginta invectam fuiſſe putat. Id etiam Brunatius confirmat *De Re Nummaria Patauinorum* p. m. 75.

(*b*) Conſule præ ceteris Scriptores noſtros, Rubeum nempe, ac Fabrium, in nonnullis tamen corrigendos, ut ea nos docent tabulæ in Archiep. Archivo ſervatæ, quæ de his rebus coploſe agunt.

(*c*) Fabr. Sacr. Mem. P. II. p. 509.

(*d*) Exſtat Arimini apud Auguſtinum Abbatem Pignatta, peneſque Jo: Baptiſtam Coſtam Pictorem, ejuſque mihi copiam fecit Cl. Plancus.

(*e*) Lib. I. contra Symach. is 487.

(*f*) Lib. I. C. VIII. apud Vignolium *Antiquiores Pont. Rom. denarii* p. m. 6.

Columba, quæ poſterioribus forte temporibus in ſtemma irrepſit, cum Cruce conjungitur? Si oleæ ramulum roſtro geſtet, ut effingi nunc ſolet, fortaſſis ut Columba ea deſignetur, quam ad explorandam tellurem emiſit Noacus. Servator enim poſtquam e Cruce pendens, cujus *Arca* typus fuerat, mortem obiiſſet, luſtratis inferorum locis e tumulo victor erupit, cujus propterea triumphus per oleam indicatur (*a*). Si vero, ut in nummo, ramuſculus deſit, ad primos Ravennæ Antiſtites, quos Columba indice a Spiritu Sancto creatos traditum eſt, ea reſpicit: aviculæ enim ejuſmodi in ſequioris ævi monumentis frequentiſſime uſurpatæ ſunt, quæ proinde cum ceteris Chriſtianæ pietatis ſymbolis (*b*) ab Auctoribus recenſentur.

XIX.

Neque inconſulto fortaſſis Crucicula altera e ſummo erumpens ſtemmate, atque epigraphen ſecans a cælatore poſita eſt. Hac de re conjecturam fecimus, quum Lucii III. ad Gerardum, & Honorii III. (*c*) ad Simeonem diplomata legeremus, quibus Pontifices Maximi vetus illud deferendæ Crucis, quòcumque irent, ſi Romam excipias, ac tria ab eo loco paſſuum millia, ubi Pontifex degeret, ratum eſſe voluerunt. Verba Honorii tantum recitabo, ut conjecturæ robur accedat (*d*): *Porro conſuetudinem, quam in portando Crucem, & tintinnabulum cum Prædeceſſoribus tuis uſque ad hæc tempora ſervaſti, videlicet, ut quocumque iveritis, excepta Roma, & tribus milliaribus prope a loco, ubi fuerit Romanus Pontifex, Crucem, & tintinnabulum ſine qualibet contradictione, de Sedis Apoſtolicæ licentia deferatis, & ſignare, & ſignando benedicere ubicumque cum prædictis inſignibus fueritis ſine præſumptionis nota poſſitis, auctoritate Apoſtolica confirmamur*. Mirum autem quantum, quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo, id juris imminutum fuerit.

XX.

Quod vero ad Ravennæ ſtemma poſticam partem occupans pertinet, illud a veteri Cybelis cultu apud nos deſumſiſſe, qui illud excogitarunt, putat Carrarius (*e*). Quæ opinio ut in propatulo magis ſit, pauca de Iſide, de qua is minime locutus eſt, diſſeramus oportet. Hanc Deam pro una eademque re cum Diana, ac Cerere habitam aliquando fuiſſe, ferunt Auctores (*f*). Cum Cybele autem pariter confuſam, docet lapis noſter (*g*), cujus hæc ſunt verba:

NEPTVNO. CONSERVATORI
ET. ISIDI. MATRI. DEO.....
IN. LVCI. CLASS. RAVEN.....
SACR
L. ANTIDIVS. L. F. PAL. FEROX
PRAEFECTVS. CLAS.....
RAVENNAT. PATRONVS. COLLEG
FABR. NAVT. PRAEF. COLL. FABR
FERRAR. QVINQ. II. L. D. D. D
..... IN. COLL. DECVR

Mater vero Deorum, de qua inſcriptio, quid aliud eſt, quam Cybele, quæ ſecundo Bello Punico Romam primum accerſita eſt? Ei, quod Atys in Pinum converſum fabulentur veteres, hæc Arbor ſacra fuit (*h*). Leones vero, ſive quod (*i*) *materna pietas omnia ſuperet*, ſive (*k*) ut furens ejus in Atyn amor, ab Ovidio deſcriptus, deſignetur, de quo loqui mihi vi-

(*a*) Columbas reapſe eum Cruce connectere ſolitos fuiſſe veteres, ectypon illud declarat, quod poſt Boſium *de Cruce Triumphante cap. XI.* Ciampinium *Vet. Mon.* T. I. C. XXI. p. 191. Gretſerum Tom. III. *Operis de Cruce* lib. I. C. XXXIII. Bottarium *Spiegazione delle Pitture, e Sculture della Roma Sotter.* Tom. I. p. 218., exhibet Cl. Mamachius *Orig. & Antiq. Chriſt.* lib. I. p. 67.

(*b*) Conſule, præter ceteros, Auctores *Romæ Subterraneæ*, Boſium videlicet, Aringhium, Boldettum, alioſque.

(*c*) Rubeus ad ann. 1184. Fabr. Sacr. Mem. P. II. p. 494. Revocanda huc pariter ſunt, quæ de Cruce Patriarchali, ut vocant, a Pontificibus noſtris uſurpata, diſſerit idem Fabrius Ephemerid. Sacr. & Prof. pag. 376. & ſeq. Alia etiam de cauſſa Crucem poni potuiſſe oſtendit Garampius *de Numm. Argent.* Benedict. III. p. 136., ſed non de hac noſtra moneta agens.

(*d*) Rub. Lib. VI. ad ann. 1224.

(*e*) *Storia MS. di Romagna* lib. I.

(*f*) Baruffaldius in epiſtola quadam ad Joſephum Lanzonium (*Galleria di Minerva* Tom. II. P. XI. p. 369.) *qua de Foro Alieni erudite agit.*

(*g*) Ex Schedis Reverendiſſimi Ginannii.

(*h*) Ovid. Metam. X. v 104., ex eoque Mythologi, ubi animadvertere ſubit, hanc Arborem in Corinthiorum etiam nummis cerni propter Inventum juxta illam Melicertæ corpus.

(*i*) Servius ad Lib. X. Æneid.

(*k*) Jobert. cum Bimard, *Scienc. Medaill.* Tom. I. p. 192.

videtur Cicero (*a*), ubi inquit: *Hanc Matrem magnam accepimus agros, & nemora cum quodam ſtrepitu, fremituque peragrare*. Hinc in nummo Trajani cum Ati a Leonibus curru vehitur (*b*), Leoni inſidet in altero Fauſtinæ (*c*), Leonibus circumdatur in nummis ejuſdem Auguſtæ, ac (*d*) Luculiæ, inter duos (*e*) tandem Leones ſedet in Nummis Antiochiæ Piſſidiæ Gordiani. Quum igitur pro Iſide apud nos acciperetur, ac Neptuno ſimul, Iſidique Pinetum ſacrum fuiſſe memoriæ proditum eſſet, ii, quibus Ravennæ ſtemma excogitandum erat ſuperioribus ſæculis ad hanc rem reſpexiſſe, Carrario auctore, putandi ſunt. Iſidi autem ideo ſylvæ dedicabantur, vel quod inter averruncos deos, præcipueque inter Viatorum ſoſpitatores (*f*) relata fuiſſet, vel quod venationibus præeſſet (*g*), cui propterea aves ad id muneris adhiberi ſolitas, veteres ſacravere. Ecquis autem aptior, quam Pinetum, locus huic rei ſignificandæ reperiri poterat? Nemo autem, qui in veterum Theologia omnino hoſpes non ſit, mirabitur, quod Iſis modo pro Diana, modo pro Cerere, modo pro Cybele uſurparetur, ut in ea, quam paro, Diſſertatione: *De Ravenna Romanorum Municipio*, fuſius declarabo (*h*). *Jupiter* enim, *non minus* quam *Iſis*, *unus erat omnia*, *ſingulorumque nominibus* recte donabatur.

XXI.

Aſt cur collega, ac veluti paredros Iſidi Neptunus in noſtro marmore? Ut nempe, quum is nutu æquor temperet, Ravennatium claſſi præſto eſſet, quemadmodum pedibus iter facientibus Iſis erat (*i*) ſoſpita. Præfectus enim ejuſdem Claſſis erat Lucius ille Aotidius Ferox, *palatina tribu*, qui *loco dato decreto Decurionum* lapidem poſuit. Quidni etiam, ut eam ſylvam ſecus mare ſatam tueretur, quæ navibus conſtruendis erat aptiſſima, ut Collegium illud Fabrorum Nauticorum, cujus Antidius Patronus erat, videtur indicaſſe? Ex veterum enim Theologia habemus lucos quoslibet alicui Deo, vel Nymphis, ot plurimum Heroibus ſacros fuiſſe, quibus propterea, ut Iſiis templa, deſtinabantur (*k*). Neque hac tantum de cauſſa cum Iſide coojungi potuit Neptunus in noſtro epigrammate, ſed quod Iſis quoque navibus præſideret: carbaſorum enim navium inventricem fuiſſe memoriæ proditum eſt; quam ob cauſſam fortaſſe Corynthii eam in ſuis nummis utraque manu velum explicantem (*l*) cælavere: Ad quod videtur reſpexiſſe Ovidius Epiſtolarum ex Ponto lib. I. epiſtola prima, ubi inquit:

Vidi ego linigeræ numen violaſſe fatentem
Iſidis &c.

quamvis doctiſſimus Heinſius id de Iſidis Sacerdotibus, qui lino tecti ſacra deæ faciebant, expoſuerit.

XXII.

Tenes, Hannibal ſuaviſſime, Carrarii ſententiam. Quid modo de eodem ſtemmate opinetur M. Antonius Comes Ginannius, alter gentilis tuus, in Lexico, quod parat ad ſtemmatum Artem illuſtrandam paucis habeto (*m*): non enim ea omnia Latine reddere curamus, quæ Galli peculiari quadam loquendi ratione in hanc Artem invexere: apud eundem enim, ubi opus emiſſum fuerit, cerni poterunt. Is igitur Stemma, de quo eſt ſermo, ad Gothos Reges refert; quod nempe haud ſatis in animum inducat, ejuſdem Auctorem, qui certe Chriſtianus fuit, ad veterum Theologiam ſine piaculo reſpexiſſe. Detur id ſummæ pietatis viro, quod exemplis tamen bene multis infringi poſſet, quidque ille conjectura aſſecutus ſit videamus. Statuit in primis ex Carrario (*n*),

(*a*) De Senectute.
(*b*) Mediobarb. in Occon. auct. p. m. 164.
(*c*) Ibidem 208 & 231.
(*d*) Ibidem 239.
(*e*) Vaillant Numiſm. Ærea in Coloniis percuſſa P. II. p. m. 199.
(*f*) Vide Lupium in Epitaph Severæ Mart. p. 68., & ſeq. Comment. ad Sat. I. Q. Sectani. Paciaud. *Antich. di Ripa Tranſona*, ceteroſque, qui Macri Hierolexicon, Thomaſſin. de Donariis, alioſque hac de re agentes conſuluere.
(*g*) Baruff. loc. cit.
(*h*) Ægyptius de Bacchan. p. 101.
(*i*) Præter ea, quæ hoic dicta ſunt, illud conſtat ſollemne fuiſſe littoralibus urbibus Neptunum pro tutelari numine venerari. Exempla inter ceteras ſuppeditant Berytus, & Corinthus, in quorum Nummis, ut in Patrenſibus, Neptunus varie exprimitur.
(*k*) Vide ſis Comment. Q. Sectani ad Sat. I. Lib. I. v. 1., ubi multa ex Platone, Tullio, Servio, Seneca, Polluce, Auguſtino, aliiſque ediſſeruntur.
(*l*) Vaillant in Numm. Colon. P. I. p. m. 219.
(*m*) Sic rem definit Ginannius: *Ravenna Metropoli ha lo ſcudo partito d'oro, e di roſſo con due Leoni dall' uno all' altro contrarampanti, ed affrontati ad un pino verde, fruttifero, ſradicato, e poſto ſopra il tutto.*
(*n*) *Iſtoria MS. di Romagna* loc. ſup. cit.

non hoc vetus esse Ravennatium stemma, quod auream portæ frontem (*a*) prætulisse Scriptores tradunt. Dein contendit hanc stemmatum effingendorum rationem, qui coloribus, metallis, symbolisque graphice distinguuntur, veteribus minime innotuisse. Ponit tandem illud, quo utimur, quum res moderarentur Gothi abs Ravennatibus excogitatum. Quum igitur Pegna, Wionius, Petrasancta, ac Justinianus modo unum, modo binos Leones cum aliis nonnullis attribuant Gothis, quos varie stemmata sua secuisse ostendit Cellonensis, infert vir solertissimus, erectos Leones se se mutuo respicientes a Ravennatibus sui juris factos, sive Gothorum ævo, qui id privilegii illis irrogarint, sive post eos exactos, ut Ravennæ Regni olim sedem eos collocasse significarent: per Pinum ingenti ea sylva indicata, quæ quovis tempore Italiæ totius, nedum Ravennæ habita est ornamentum (*b*) nulla prorsus sive Cybelis, sive Atyos ratione habita.

XXIII.

Sapienter quidem, atque ad rem appositelocutus est Ginannius: verum fortasse nec Carrarii opinio abs me, ut nitidissima hæc temporum lux postulabat, exposita, quæ omnia stemmatis symbola mire complectitur explanatque, sua destituitur probabilitate. Utinam Ginannius, quem plurimi facio, Carrario, mihique ab eruditis præferatur: ni in re obscurissima operam omnes luserimus. Carrario tamen favet antiquitas, qui id potuit a Majoribus suis accipere, quod nos ignoramus. Superest modo, ut monetæ ætatem inquiramus: De *Antiquæ* enim epitheto in posticæ inscriptione usurpato multa, & fortasse ad nauseam Scriptores nostri tradiderunt. Illud a Claudiano Patriæ nostræ affictum sat fuerit indicasse, ubi de VI. Honorii Consulatu agens, sic cecinit:

Dixit, & antiquæ muros egressa Ravennæ.

XXIV.

Monetam igitur cum Fabrio (*c*) ad sæculum decimum sextum, quo Nicolao Cardinali Flischio petenti cudendorum nummorum jus instauravit Leo X. Pontifex Maximus, dubio procul referendam censeo. Præter illam enim, ac binas, quas Capite IV. retulimus, alteram ex ære conflatam propriis se vidisse oculis affirmat hic Auctor, quæ in anteriori latere expositum a nobis Ravennatis Ecclesiæ stemma cum epigraphe ECLESIE RAVENE, in posteriore vero illud Flischii præseferebat cum inscriptione N. CARDIN. FLISCVS; quæ utinam tandem una cum æreo nummo a *Canonicis* signato dum Ecclesia vacaret, e tenebris eruatur, digni enim sunt, qui eruditorum oculis exhibeantur. Qui posteriorem hunc nummum viderunt, hac ornatum epigraphe testantur: CAPITVLVM ET CANONICI S. RAV. ECCL.

XXV.

Iis expositis, quæ illustrandis nummis recens detectis apta omnino visa sunt, quidni pauca etiam addamus, quæ exteræ pecuniæ, postremum Dissertationis Caput occupanti, augendæ, explicandæque non parum opis adferre possit. Anconitanos cum Ravennate Republica, ejusque Archiepiscopo (*d*) anno 1249 convenisse de Moneta cum Ravennæ, tum Anconæ cudenda ex Rubeo observavi p. 121. Anconitanos vero nummos reapse sæculo XIV. in Civitatem receptos fateor me ignorasse. Id tamen nuper ex Aimerici tabulis, in hoc Archiep. Archivo servatis, didicimus, quas temporum injuria chronologicis notis carere sane dolendum est, quamvis de earum sinceritate ne levis quidem suspicioni locus supersit. Eæ autem post annum 1332. exaratæ sunt, quo inter Cardinalium Collegium a Joanne XXI., sive mavis XXII. coopiatus fuit, postquam eodem hoc anno Ravennæ Ecclesiam, quam novem rexit annos, abdi-

(*a*) Urbis Porta nonnunquam tanquam totius Civitatis symbolum sumi solebat. Maffæus V Cl. *Veron. Illustr.* P. III. p. 71. ex eoque Garampius *De Nummo Argent. Bened.* III. p. 136.

(*b*) Solemne etiam veteribus fuisse symbola regionum naturæ, ac fertilitati accommodare, docent præsertim nummi Coloniarum *Juliæ Traductæ*, *Leliæ*, aliarumque Urbium, in quibus sive *uvæ racemus*, sive *spica triticea* ad vini, frumentique copiam exprimendam signantur. Verum ubi plura simul symbola occurrant, ita explicanda sunt, ut alter alteri lucem afferat, quod in Carrarii sententia mire præstari, nemo non videt.

(*c*) Sacr. Mem. p. 541.

(*d*) De utraque hac pecunia humanissimas nuper litteras accepi a Cl. Viro Pompejo Compagnonio Ruxumi, Cingulique Antistite, ex quibus summa cum voluptate intellexi operam se dare, ut ex iis tabulariis Ravennatis Monetæ valor diuturnitasque in Piceni Urbibus, Regionibusque eruatur. Utinam susceptus hic labor doctissimi Præsulis votis respondeat. In nostris certe tabulis ad sæculum usque XVI. ejus mentio occurrit.

abdicaſſet, ut Tropejenſi præficeretur. Neque id tantum a noſtris hiſce tabulis edocemur, verum etiam Aimerico Apoſtolici Legati nomine eorum bonorum datam fuiſſe procurationem, quibus Romana Eccleſia *in Tuſcia*, *aliiſque* terris fruebatur (*a*). Caſtigandus igitur Fabrius, caſtigandus Ughellus, & ſi qui alii in eadem ſententia ſint, qui iis bonis præpoſitum fuiſſe Aimericum dicunt, quæ in Sicilia Apoſtolica Sedes obtineret. Id tandem monemur *Ducatum de Auro* ſæculo XIV. quadraginta quatuor ſolidis Ravennatis Monetæ conſtaſſe, adeoque quatuor ſolidis Florenum auri per eoſdem fere dies ſuperaſſe, ut colligi poteſt ex iis, quæ pag. 133. diſſeruimus.

XXVI.

Aſt hæc ſufficiant. Verba tandem tabularum deſcribamus, quæ ad rem faciunt. *Coram Rev° in Chriſto Patre, & Dño Dño Aymerico miſeratione divina titullo S. Martini in Montibus Presbitero Cardinali in partibus Tuſciæ, & nonnullis aliis terris Roman. Eccleſie ſubiectis Apoſtolicæ Sedis Legato. Proponit & agit Paulus quond. D. Cambii de Zambecariis Procurator, & Procuratorio noē Dñi Thomaxii Legum Doctoris, quondam alterius Dñi Thomæ de Sancto Elupidio ad mare Firman. Dieceſ., contra, & adverſus Jolum Ramalducci, & Mattaraccium ejus filium de dicta Terra dicens, quod ipſe Dñus Thomas titullo emptionis pro precio ducentarum ſeptuaginta quinque librarum Raven., & Anchonitan. parvorum veterum tunc valoris, & exiſtimat. unius Ducati de auro pro ſingulis quadraginta quatuor ſoldis dicti precii a Jolo prefato tenente tunc, & poſſidente, pro ſua ſponte vendente, & tradente* &c. Ne quis vero vel tantillum de hoc dubitet, quod poſteriora verba ad ſolidos tantum Anconitanos videantur referenda, ſciat velim, Ravennæ pecuniam per ea tempora cum Anconitana ita confundi, ut altera alteri frequenter ſubrogetur. Id ſi teſtimoniis oſtenderem, in re certiſſima diutius, quam par ſit, verſarer. Doceat Maurus Sartius Camaldulenſis Monachus eruditiſſimus, mihique ſtudiorum ratione, familiaritatiſque fœdere ſuaviſſimus, cujus manibus ejuſmodi tabulæ ſæpe teruntur.

XXVII.

Quoniam vero *Ducati de auro* incidit mentio, lubet heic ex Archivo (*b*) Portuenſi proferre tabulas, quibus ea plurimum illuſtrantur, confirmanturque, quæ de hac pecunia Cap. 6. Diſſert. noſtræ dicta ſunt, exterorumque, nedum Ravennatium in Deiparam Virginem, quam Græcam dicunt, pietas, ac cultus oſtenditur.

Memorabilia ad Poſteros Portuenſes a me Joanne Decabono Veneto ſcripta anno 1142. die 21. Decembris.

Anno 1100. *Ottonus* (*c*) *Archiepiſcopus Ravennæ die 25. Maji cum Clero, & Civitate ad adorandam venit Deiparam, cui donavit Ducatos* 100. *auri pro perficienda Æde, Franciſcus Farundus* (*d*), *& Oſtaſius Raſponus Duc.* 50., *Jacobus Palatius, Nicolaus Traverſarius, Jacobus Honeſtus Duc.* 300. *Reliqui de Civitate Duc.* 2000.

Anno 1101. *Mathildis Petri Traverſarii Conjux die 28. Aprilis inviſit Virginem, cui reliquit monilia, dexteriola, aliaque ſua argentea, & aurea ornamenta; quo anno venerunt nedum Flaminiæ Civitates, verum etiam ab omnibus Europæ gentes ad adorandam Deiparam, multa donantes Deiparæ, quibus inœptum eſt ædificari Cœnobium, quod modo extat, & Oſpitale pro peregrinis venientibus ad nos.*

Anno 1112. *Jeremias Archiepiſcopus* (*e*) *Ravennæ inviſit Virginem cum Clero, & adſcriptus inter Filios ejuſdem donavit ſub die .... Maji Duc.* 300.

Anno 1115. *ſub Idibus Martii Petrus Dux, Imperator Ravennarum Exercitus, inſtauraturus bellum adverſus Ferrarienſes, vexillum accepit benedictum a Petro* (*f*) *noſtro in Eccleſia Deiparæ, cui donavit Duc.* 100.

Anno

(*a*) Ughell. in Epiſc. Tropejen. Tom. IX. num. 16. Fabrius Sacr. Mem. P. II. p. 517.

(*b*) Ex Fabrio *Effemerid. Sacr. e Profan.* pag. 368. & ſeq.

(*c*) Hoc eodem anno ab Henrico Aug. per vim quodammodo Otho renunciatus eſt Archiepiſcopus. Quo anno obierit, haud conſtat; illud liquet ante annum 1112. contingere id debuiſſe.

(*d*) Hos omnes memoravimus in Diſſertatione prope fin. Corrigendus autem Fabrius, qui pro *Farundo* legit *Parundum*, ni mea tamen me fallat opinio.

(*e*) Othonem excepit hic Jeremias circa annum 1112., circa vero ann. 1117. mortem obivit. Teſſellato Opere Urſianæ Ædis abſidem ornavit, ſubque eo ſanguinem pluiſſe (credaſne?) memoriæ proditum eſt.

(*f*) Petrus e nobiliſſima Honeſtorum Familia, qui celeberrimum Templum D. Mariæ in Portu ad mare, ſecundo ab Urbe lapide, condidit, non autem perfecit, ut perperam autumant

Anno 1120. *Gualterius* (*a*) *Archiepiſcopus donavit multa prædia, & bona Virgini.*

Anno 1131. *Ab eodem Archiepiſcopo* (corrige cum Fabrio *idem Archiepiſcopus*) *me Priore ſub* 30. *Octobris conſecravit noſtram Portuenſem Eccleſiam, quam ædificare cœpit Pater noſter Petrus idibus Maji anno* 1096. *ex voto Virgini facto in navigatione die* 20. *Aprilis ejuſdem anni.*

Anno 1133. *Lotharius Cæſar manſit apud nos, donavitque Virgini Duc.* 4000.

Anno . . . . . Conradus Cæſar (*b*), *& Ludovicus Galliæ Rex adſcripti ſunt inter Filios Virginis, ut fecerunt prædeceſſores eorum, ut etiam Reges Iſpaniarum, & Duces Venetum, quo anno Moiſes Archiepiſcopus Raven. confirmavit omnia bona data Virgini a Gualterio prædeceſſore ſuo, enumeratus inter Filios Virginis, ut mos fuit Anteceſſorum, aliorumque Principum, & Nobilium Europæ Virorum, ut fideliter notatur in aliis pergamenis a Notario Canonicæ Portuenſ.*

Ego Joannes Decabonus . . . . hæc ad memoriam poſterorum, & munivi ſigillo Canonicæ.

XXVIII.

De Msrabottinis pariter nonnulla dicenda occurrunt. Monuimus pag 131. eos una cum Lucenſe pecunia anno 1130. Ravennæ viguiſſe. Quid ſi antiquiores multo fuiſſe oſtendero? Exſtant in Archivo Archiepiſcopali tabulæ anno 1044. exaratæ, quibus Gibertus quidam Archiepiſcopus Gerardo Comiti, ejuſque filiis legitimis (*c*) *Brittinorii Caſtrum* in emphyteuſim concedit hac lege, ut *annoatim nomine penſionis tribuat pro penſione dicti Caſtri duodecim Marabottinos bonos non minus penſantes, ſed ſint ſeptem per unciam* &c. Hæc eadem emphyteuſis confirmata a Gualterio deinde fuit Cavalcaconti Comiti anno 1130, ut ex tabulis docuimus, quæ ibidem deſcriptæ ſunt. Quum igitur in iis de Lucenſe etiam pecunia, ut diximus, mentio fiat, illud conſequitur, eam pariter fortaſſis jam inde a ſæculo XI. Ravennæ fuiſſe uſurpatam, ac per *centum Libras boni argenti monetati* intellectam, loco *centum bonorum Denariorum Lucenſium*, quæ in Gualterii tabulis memorantur. Neque hæc nobis tantum lux affulget, verum etiam monemur per id temporis ſeptem Marabottinos auri unciam æquaſſe.

XXIX.

Verum, ut ingenue fatear, non multum fidendum his Giberti tabulis, quæ in chronologicis etiam characteribus adnotandis claudicant. Atque utinam eas attentius conſuluiſſet Rubeus: quum enim datæ ſint anno 1044., non eaſdem de Giberto Corregio, quem anno tantum 1070 Archiepiſcopum Alexander IV. renunciavit, interpretatus eſſet. Aſt quinam hic Gibertus ignotus Hiſtoricis? Num novus Antiſtes Ravennatis Eccleſiæ faſtis inſerendus, ut putat eruditiſſimus Caſinatium Præſes Ginannius? Res ſane haud modicis difficultatibus obnoxia: non enim in Archiepiſcoporum indicem referri poteſt, quin omnia ſuſque deque miſceantur (*d*). Num ab iiſdem expungendus? Nequaquam: ſat plurium tabularum fides reclamat. Num cum Gebeardo confundendus? Sane documenta, de quibus minime ambigendum, alium prorſus ab illo fuiſſe evincunt. Ad Kalendas igitur Grajas deciſio differenda: ni potius ſtatuamus, pſeudo-archiepiſcopum fuiſſe hunc Gibertum, Gebeardi æqualem, qui conſpiratis factionum partibus Sedem occuparit. Integras tabulas vulgandas duxi, quod Hiſtoriam noſtram plurimum juvent. *In nomine Dñi noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti. Anno ejuſdem* 1044. *Indict. XIV. Menſe Auguſto die II. Conſtat me Dñum Gibertum S. Raven. Eccleſie Archiepiſcopum locaſſe, & confirmaſſe Tibi Dño Girardo nobiliſſimo Comiti Caſtrum, quod Patruus tuus Ugo bo. me. in locationem tenuit ab An-*

nonnulli. Conſtat id tum ex lapide ibidem poſito, tum ex verbis harumce tabularum, quæ paullo poſt ſequuntur. De eo Dantes in Cant. XX. *Paradiſi* apud Fabrium *Sac. Mem.* pag. 276.

(*a*) Secundus hic erat Gualterii, ſive Vvalterii annus, qui de hac Eccleſia optime meritus dicendus eſt. Conſulendi Auctores.

(*b*) Aecidere id potuit tantum poſt annum 1138., quum ſequenti ſolum hic Conradus III Imperium ſuſceperit. Quid ſi neque ante annum 1144. id contigerit? Moſes enim, qui confirmavit omnia bona, quæ Deiparæ ex dono obtigerant, hoc anno renunciatus eſt Archiepiſcopus.

(*c*) De Brittinorio, ac reliquo dominatu, ut ajunt, temporali Antiſtitum Ravenn conſule Rubeum, Ughellium, ac Fabrium pluribus in locis.

(*d*) Conſulendus hac ſuper re Amadeſius noſter in epiſtola Italica ad Bonifacium Collinam Camaldulenſem Monachum, atque in Bononienſi Gymnaſio publicum Profeſſorem, ubi de ætate D. Romualdi copioſe omnino, atque erudite diſſeruit. Extat in Coll. Calogerà T. 45.

Anteceſſore meo D. Joanne Ven. Archiepiſcopo (*a*), *quod nominatur Brittonoro in ſecundo gradu, Ideo tibi, & filiis tuis maſculis locamus villam noſtram, quæ eſt juxta ipſum Caſtrum nomine Trentola cum toto redditu. Reſervamus nobis Eccleſiam pro hoſpitio noſtrorum Servitorum, cum venerint, vel iverint ad Caſtellos noſtros, & locamus tibi aliam Villam, quæ vocatur Bogaſcio. Hæc omnia concedimus tibi, ut ſuperius dictum eſt, vita tua, & legitimorum tuorum Filiorum. Hoc denique tenore, ut annoatim nomine penſionis tribuatis pro penſione dicti Caſtri duodecim Marabottinos bonos, non minus penſantes, ſed ſint ſeptem per unciam, & non mittatis eos nobis per aliquem nuntium, ſed vos ipſi in manibus meis detis in Feſtivitate Beati Apollenaris, & publice nobis tribuatis, niſi impedimentum publicum habeatis, tranſacto impedimento vos ipſi deferatis. In partibus Romaniæ ad inſultum contra inimicos noſtros cum centum Militibus venietis, ad obſidionem cum quinquaginta, & cum trecentis pedibus, vel plus. Citra Padum cum viginti, & hoc ſit ad uſum bonæ Curiæ. Si ibi aliquid amiſeritis per cenſum villæ, ſit vobis in Feudum, ſed tam n. ſub tenore locationis. Cum vocatus fuero ad Curiam Dñi Papæ, nobiſcum venire debes cum veſtro expendio: & per vexillum te inveſtimus de Druderia noſtræ Curiæ, & de bono uſu, & quidquid Anteceſſores tui in tenore locationis contra nos peccavere, omnino remittimus, pro eo quod centum libras boni argenti monetati nobis tribuiſti. Finita vero ſecunda generatio, ſi filii tui filios maſculos habuerint, eis concedere, & locare cum meis Succeſſoribus promitto, & pro locatura ſimiliter centum libras boni Argenti tribuatis, & omnia ſecundum tenorem hujus locationis faciant. Quod ſi filios* (ſic) *maſculos ad mortem tuam, vel ad mortem tuorum non fuerint, & filias fœminas habuerint, non cogemus revocare, niſi nobis, noſtriſque Succeſſoribus placuerit. Quod ſi nec maſculi, nec fœminæ remanſerint, ſine mora in noſtro Archiepiſcopatu revertantur cum ſuis utilitatibus ad mortem veſtram, veſtrorumque filiorum, equos, & armas* (ſic) *quas tunc habueritis nobis, & Succeſſoribus noſtris publice tranſmittantur. Si quis veſtrorum contra omnia, quæ ſupra notata ſunt, venire præſumpſerit, & omnia non obſervaverit, pro pœna ſolvat, qui promiſſa non ſervat, ſervanti fideliter ſupraſcripta centum boni auri libras poſt ſolutionem pœnæ. Hæc* (ſic) *duæ cartulæ uno tenore depictæ, firmæ, ſtabileſque permaneant. Scriptæ per manum Joannis Notarii Forimpompilii in menſe præterito, die, & anno. Hoc actum eſt apud Sanctum Apollenarem in Claſſe ante præſentiam Petri Joannis Alfeni, & Joannis Melonis, & Petri Burdonarii, & Stephani Gusberti, & Dñi Joannis Alferi, & Ugolini Mazzoli, & Dñi Petri de Conteſſa, & Vitalis Fabbri, & aliorum multorum.*

✠ *Gibertus Dei Gratia humilis Archiepiſcopus Sanctæ Ravennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus manu mea ſubſcribo.*

Joannes Notarius Civitatis Forimpompilio ex præcepto Dñi Giberti Sanctæ Raven. Eccleſiæ Archiepiſcopi ſcripſi, & complevi.

XXX.

Obſignanti jam epiſtolam occurrit eruditiſſimus Amadeſius, pro ſua in me humanitate tabulas ex Archiep. Cartophilacio deferens, quæ anno Chr 891. a *Conſtantino Primicerio Notariorum Sanctæ Ravennatis Eccleſiæ* exaratæ ſunt, ut ſi ad rem facere viderentur, rei huic Nummariæ ditandæ præſto eſſent. Eæ profecto acciderunt quam gratiſſimæ: docent enim Dominicum (*b*) Ravennæ Pontificem *ſub penſione novem triantium aureorum infiguratorum* Horti cujuſdam portionem intra Faventiæ mœnia poſiti, cum aliis nonnullis Faventinæ Diœceſeos fundis in emphyteuſim *Leoni*, & *Reparatæ jugalibus* conceſſiſſe. Trientes, qui tertiam aſſis partem conſtituerent, vel ab ipſis Romanorum temporibus innotuere. Eos ſequiori ævo adhibitos minime ignorabamus. In *figuratos* vero, atque *infiguratos*, ſive qui trientes forma aliqua donatos pondere (aut ego fallor) tantum æquarent nono ſæculo tributos fuiſſe, non adeo perſpecta res erat, quare hoc loco prætermitteretur. Verba heic haud deſcribimus: præter enim *novem triantes aureos infiguratos* nil memoriæ dignum exhibent.

XXXI.

Neque prætereundum hoc loco eſt, Julianum illum Argentarium, quem cum Urſicino, atque Eccleſio Ravennæ Pontificibus D. Vitalis, Divique Apollinaris Ædes condidiſſe diximus

(*a*) Heic quoque hæret aqua, niſi ad annum ſaltem 996., quo vel Joannes XI. obiit, vel Sedem hanc abdicavit, conſcendamus.

(*b*) Hic Dominicus cujas fuerit, omnino latet. *Ubiatellam* dictum, atque a Stephano Pontifice Ravennatium Antiſtitem ann. 889. creatum, proditum eſt. Ad ann. uſque 898. ſedit.

pag. 125. non eorundem trapezitam, ut ſcripſi, ſed, re attentius perpenſa, Orientalium Imperatorum cimeliarcham videri: ejuſmodi enim quæſtores in Italia habuiſſe is tantum ambegerit, qui quo pacto Italiæ Regnum Gothis traditum fuerit, ignorarit. Argentarios autem etiam dictos fuiſſe Inſcriptio vetus oſtendit apud Gruterium (*a*), quæ hic omnino deſcribenda eſt (*b*).

L. DOMITIO
AGATHEMER
PARIDIS
LIB. A. VII
CAESARES
ARGENTAR
COACTORI
L. DOMITIVS
EPICTETVS
ET. CVRTIA
EVPHRANTIS
FORTVNAE
PRIMIGEN
D. D
L. D. D. D

Cum hac Inſcriptione mire convenit altera (*c*), quæ habet:

D. M
P. AELIO. T. F. QVAEST. R
AVRI. LVSTRALIS. COACTORI
AC. CIVITATIVM. VOLMERII. ET
PETOVII. CVRATORI. Q. LAE
LIVS. AESOPVS. B. M. M. P

Quidni autem ita ſentiam, quum ex Agnello liquido (*d*) conſtet, eos feciſſe ſumtus Julianum, qui privato homini minime conveniant, ut vel ipſe Bacchinius (*e*), qui tamen Ravennatium Antiſtitum trapezitam eum fuiſſe judicavit, ingenue fatetur; quumque Agnellus (*f*) ita loquatur, ut Julianum in tantis moliendis Operibus non dominos, ſed ſocios, habuiſſe Epiſcopos oſtendat, quod & marmora confirmant, quæ Julianum Divi Apollinaris, atque Vitalis Ædes dedicaviſſe, quod *laici* hominis quoque erat, Epiſcopos vero conſecraſſe, docent. Agnelli verba heic miſſa facimus, ne extra chorum canere quodammodo videamur. Juſtiniani autem Imperatoris liberalitatem acceſſiſſe, quamvis altum hac de re in lapidibus, Scriptoribuſque ſilentium ſit, Divi Vitalis, quod adhuc ſupereſt, muſivum Opus ſat indicat, ubi Auguſtus mire expreſſus cernitur: quamvis ad Eccleſium Templi conſtructionem præcipue pertinere, idem Pontifex Ædem geſtans, eodemque opere effictus aperte ſignificet. Accedit quædam cum Conſtantineopolitano Divæ Sophiæ Templo, quod aliquot ante annis excitatum fuerat, ſimilitudo, ut noſtra Ædes Græcum quid redolere videatur. Miror (*g*) autem Rubeum Conſtantineopolitani Templi conſtructionem eidem Juliano, qui Juſtiniani juſſu id fecerit, audenter tribuere, quum apud veteres præſtantiorum tantum Artificum, Architectorumque nomina ſuperſint, qui ei conſtituendo operam dedere, quod late, diſerteque complexus eſt Ducangius in ea, quam emiſit, Sophianæ Ædis deſcriptione.

XXXII.

Hæc ſunt, Hannibal ſuaviſſime, quæ meæ ornandæ, amplificandæque Diſſertationi perquam apta eſſe judicavi. Ad ea autem, ſepoſitis cæteris, ideo ſtudium omne conferendum duxi, ne haud abſoluto opere manum de tabula ſuſtuliſſe arguerer. Levia profecto ea ſunt, ſed leviora etiam iis videbuntur, quibus eruditio ſqualet, atque Antiquitas. Verum moroſi homines, quicquid in buccam venit temere effutientes, omnino parvipendendi. Neque enim unquam a ſeverioribus Diſciplinis, Eruditioni, Muſiſque operaturus, animum abduxi, neque noſtra iſthæc ſtudia quid detrimenti eiſdem important. Ego, quibus ſanum qui

(*a*) LXXVI. 1.
(*b*) Conſule etiam Bimardium in Not. ad Jobertium T. II. pag. 66.
(*c*) Apud eundem Gruterium CCCXLVII. 4.
(*d*) P. II. p. m. 38. 39. 40. 50. 67. alibique;
(*e*) Ibidem pag. 51.
(*f*) Locis ſupra laudatis.
(*g*) Lib. 3. pag. 152.

Digitized by Google

eſt finciput, nec cerebrum hellebero dignum, rem judicandam relinquo (*a*). Tu interim conatus hoſce meos fovere perge, teque ad Amicorum utilitatem, in primiſque Pintii tui, qui te non diligit modo, ſed amat, quam diutiſſime ſerva. Vale.

Ravennæ ex Ædibus Seminarii XV. Kal. Maji A. C. CIↃIↃCCLI.

(*a*) Eos inter Viros longe doctiſſimos, qui ad iſthæc me ſtudia non hortari modo, ſed ultro urgere nunquam deſiterunt, haud reticendi Franciſcus Maria Riccius, Caſinas Monachus diſertiſſimus, atque ad Divi Benedicti Ferrariæ Abbas, ac Paullus Maria Paciaudius, Clericorum Regularium, quos Teatinos dicunt, Presbyter candidiſſimus, qui eruditionis varietate, atque delectu, dum apud nos verſarentur, omnium aures mire recrearunt. Ita enim natura comparatus ſum, ut quos in aliqua re fautores, ſuaſoreſve habuerim, omnino commendatos velim: in primiſque Jo: Baptiſtam Donatum, *Nicolai Oddi* Præſulis incomparabilis a cognitionibus, cujus Prolegati diſceſſum non ſine lacrymis boni omnes proſequentur.











PRÆSTANTISSIMI VIRI

JOANNIS VILLANII

HISTORIOGRAPHI FLORENTINI

CUDENDÆ MONETÆ

CUM

GERARDO GENTILIS

PRÆPOSITI

DE AUREI FLORENI FLORENTINI ORIGINE, PRÆSTANTIA; ET VALORE PER VARIAS TEMPORUM VICES,

CUM SIGNIS, ET EMBLEMMATIBUS,

quæ in ipsis inspiciuntur,

EX CODICE AUTOGRAPHO

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITO,

PRÆFIGITUR

TABULA NUMMARIA MUSÆI VICTORII,

CUM EJUSDEM PRÆLUSIONE.

PHILIPPO ARGELATO

VIRO CLARISSIMO

SOCIO COLUMBARIO

ANTONIUS FRANCISCUS GORIUS.

EA *qua ſoles humanitate*, Argelate Ornatiſſime, *quum litteris tuis ad me nuper ſcriptis exſcitaveris, atque officioſe monueris, ut ſi quas opes ad rem Monetariam, præſertim Reipublicæ Florentinæ, augendam inluſtrandamque haberem, quantocius ad Te mitterem, ut inſignem Collectionem tuam non ſolum locupletares; verum etiam omnibus numeris abſolutam in manus doctorum hominum traderes, atque æternitati tuis laboribus, & ſumtibus conſecrares; ſtatim vidi, quam ingenti Anecdotorum copia illam augere poſſem, ſi haberem ea ipſa monumenta, quæ nunc ad Te mitto: ſoleo enim frequenter laudare eorum Virorum conſilium, qui ſe cum ad juvanda, tum ad ornanda optima litterarum ſtudia, editis præſertim, quæ in tenebris deliteſcunt, lucubrationibus, ſedulam navant operam. Conſilium meum, nec non etiam tuum, in frequenti conſeſſu* SOCIORUM *hujus Inclytæ Academiæ* COLUMBARIÆ *Florentinæ aperui, quod omnes multis laudibus probarunt. Inter hos vero benignum ſidus prælaxit, atque emicuit Vir Præſtantiſſimus Bindus Simon* PERUTIUS, *Patricius Florentinus, ejuſdem Societatis Columbariæ eximium columen & ornamentum, qui vota cum tua, tum mea cumulatiſſime ſe impleturum ſtatim promiſit. Mihi igitur liberali animo actutum ad me veniens (in* MUTUIS OFFICIIS *præſtandis incredibili humanitate ſpectatiſſimus), præcipua hæc monumenta, quæ manu ſua jam accurate exſcripſerat, obtulit, ſinumque meum tam beata copia implevit; quod mihi feliciter, ut optabam, contigiſſe, ut ſpero, gratulaberis. Principem locum inter hæc ſibi vindicat Codex membranaceus in folio autographus, manu ipſa ſua conſcriptus a Celeberrimo noſtro Hiſtoriographo* JOANNE VILLANIO *Florentino, qui fuit Officialis cudendæ Monetæ ex Auro, Argento, & Ære una cum* Gherardo Gentilis; *quem Codicem alii ejuſdem præclari Magiſtratus Viri ad annum uſque MDC. continuarunt, & poſt hunc quoque annum uſque ad hæc tempora continuatus legitur. Virorum Monetalium juſſu vides in aureis Florenis impreſſa ſigna, & emblemata, quæ iidem probabant, placebantque, vel etiam iiſdem utebantur. Horum Florenorum aureorum, qui hiſce cum notis percuſſi ſunt, maxima ac locupletiſſima ſeries ſpectatur in Cimeliis Ornatiſſimi Viri Ignatii* URSINII, *inter Florentinos Socios Columbarios adlecti, quam ſumma cum voluptate paucis ab hinc annis ſpectavi. Hujuſmodi Opus, ut in lucem ederetur, omnes nos optavimus, quum etiam ex his nemo ſit qui non intelligat quantum ſplendoris adcedat Hiſtoriæ noſtræ, & Florentinis Familiis, quæ hujuſce Præclariſſimi Magiſtratus, vulgo* della Zecca, *ſubſelliis, honoribus, & inſignibus ornatæ ſunt, & ornantur. De aurei Floreni Florentini origine,*

gine, uſu, præſtantia, & valore per varias temporum vices integro egregio Opere mihi humaniſſime inſcripto exquiſita eruditione & ſtudio diſſeruit generis ſplendore, & litterarum laude Præclariſſimus FRANCISCUS VICTORIUS *Equeſtris Ord. S. Stephani PP. & M. Commendator, eidemque Operi Obſervationes, ſeu Proluſiones haſce evulgavit, quas ſi Tibi videtur heic in ipſo tui Operis, & meæ Præfationis veſtibulo pervulgare poteris. Tanta enim fuit aurei Floreni Reipublicæ Florentinæ præſtantia, ac pulchritudo, ut complures Principes Florentinorum exemplo auream ſuam monetam adſimili typo cudere juſſerint; quod perſpicue hæc ipſa Nummaria Tabula oſtendit.*

De valore ejuſdem Florentini Floreni CLAUDIUS BOISSINIUS *Cancellarius Montis Communis Florentiæ, cujus Commentarius nunc primum hiſce faventibus auſpiciis in lucem prodit: quum eum eruditi noſtri homines ſibi exſcripſerint, & plerique optabant ut aliquando in lucem prodiret. Poſtremo duorum Inluſtrium Juriſconſultorum Franciſci* FABRINII *Supremi Magiſtratus Cancellarii, & Antonii* GRAFFIONII *Conſilia ad Te mitto, ut ex his, quæ ad rem tuam faciunt, excerpas. Auctarii tandem loco, ut cognoſcas quam libenter omnia conferam in tuam, imo in ſtudioſorum omnium utilitatem, accipe* BERNARDI DAVANZATI *librum pluribus ipſius Auctoris, & celeberrimi* ANTONII MARIÆ SALVINI *annotationibus illuſtratum, & hunc pretioſiſſimum Codicem originalem accepiſſe, me ſcias velim, a Clariſs. nominis Viro Abbate* NICOLAO BARGIACCO *bonarum litterarum & litteratorum hominum eximio fautore, eique debitum officium Te perſoluturum eſſe non dubito. Interim,* Vir Erudite, *me tuis curis opem ferentem bono Litterariæ Reipublicæ ea, qua ſoles, benevolentia complectere, & vale, quam diutiſſime, atque hunc inſignem Monetariorum Auctorum Theſaurum auge, inluſtra, perfice, ut nomen tuum cum eo æternum vivat.*

Florentiæ ſcribebam in meo Muſæo VI. Idus Octobr. an. MDCCLI.

OBSER-

Digitized by Google

P. IV. Pag. 25.



OBSERVATIONES, SEU PRÆLUSIONES IN TABULAM NUMMARIAM MUSEI VICTORII.

SUperioribus annis cum plura Numiſmata antiqua, atque etiam Monetæ Principum, quæ multum eruditionis continent, & Hiſtoriam valde illuſtrant, in *Muſeum Victorium* inferrentur, facile factum eſt, ut aliquibus *Florenis*, præſertim *ex auro*, idem augeretur, quorum nonnulli in Tabulam viriculo æri inciſam redacti, illuſtratique ſunt ab *Academico* quodam *Etruſco* patrio ſermone, ſeu Italico, ejuſque lucubrationes Viris doctis, quibuſcum Romæ familiariter agebat, jam pridem ſunt notæ, queis legendas obtulerat, eaſque jam fere alter annus eſt, ex quo in lucem prodire deſiderant Florentiæ ex Typographia Sereniſſimi Magni Ducis, detentis iis, qui præſunt typographicis operis, non paucis præclaris Librorum impreſſionibus, quas inter principem locum tenent Celeberrimi Jo. Meurſii Opera, quibus admodum ſplendide recudendis jam diu ſedulo incumbunt. At vero ne ſibi ultra noceant diuturniores inducíæ, qua par eſt ingenuitate, eruditis Viris interim *Tabulam Nummariam* exhibere, & animum ſuum volens, lubenſque aperire decrevit. *Florenus* autem *Aureus* a Florentina Republica primò cuſus fuit Anno Domini MCCLII., cujus egregiam formam, utpote publicis commerciis aptiorem, commodioremque, ceteri propemodum Europæi Principes imitari conati ſunt, idque oſtendit eadem Tabula, quæ prodit ex eodem *Muſeo Victorio*, pluribus quidem nominibus ſpectanda, quæ infra breviſſime recenſentur.

Igitur Tabulæ Nummus Prior in ordine *Florenum Aureum* profert primò Florentiæ cuſum, qui picturæ redivivæ primordia a Græcis in Italiam advecta ævo inferiori, & veterum Florentinorum Procerum magnificentiam probe memorat. *Secundus* & *Tertius* Floreni Aurei ſunt, quos Joannes XXII. Summus Pontifex ad imitationem Monetæ Florentinæ cudere aggreſſus eſt, demonſtratque Auctor hujus Operis coævis Hiſtoricis, indicioque Regni Pontificii, duobus tantum, non tribus circulis, ſive coronis conſpicui. *Quartum* a Florentinis percuſſum fuiſſe autumat occaſione inſignis victoriæ adverſus Piſanos relatæ Anno MCCLVI., & adfirmare nititur ſymbolo Latinæ Crucis, prope Græcam alteram Crucem, a qua Epigraphe ducta eſt circa ſtantem imaginem, & vitio ſimiliter ſcalptoris improbe feſtinantis, qui dextera manu Sanctum Præcurſorem Joannem Baptiſtam effinxit haſtam crucigeram ſuſtinentem, ſiniſtra vero nimis abſurde benedicentis in morem. Aurei Floreni *Quintus* & *Sextus* cuſi fuere a Carolo Humberto, filioque Ludovico Regibus Hungariæ, indicioque eſt præ ceteris Regni Corona, quæ ſpectatur in utroque Nummo. *Septimus* Humberto II. Delphinati tribuendus eſt, qui ultimus Turrianæ *Du-Pin* Stirpis exiſtit. *Octavus* & *Nonus* Gerlaco Maguntino Archiepiſcopo adſcribendi ſunt, prout in-

dicant inſcriptæ per gyrum literæ, atque inſignia. *Decimus* Arelatenſi Archiepiſcopo, Guillelmo nempe *de la Garde*. *Undecimus* Lubecenſi Civitati, quæ inter liberas Sacri Romani Imperii Civitates connumeratur. *Duodecimus* tandem recentiorem formam redolens, Roberto Bavaro adſignandus eſt, qui Rheni Palatinus fuit, filius Roberti Adolphi. Itique ſunt *Floreni* ad normam monetæ aureæ Reipublicæ Florentinæ cuſi, qui modo Romæ ſervantur in *Muſeo Victorio*. Numero *Decimotertio* relatus eſt *Ducatus Aureus* Romanus, quem idem Auctor vetuſtiorem exiſtimat Aureo Ducato a Veneta Republica excuſo. Nummus *Decimuſquartus*, ſtemmate, & inſcriptione faciente fidem, Joanni XXIII. Papæ competit, qui ſponte poſt quinquennium dignitatem Pontificalem exuit, dimiſitque in Concilio Conſtantienſi. *Decimuſquintus* Scutum Aureum exſtat Sixti IV. Pontificis, quod ſymbolo Naviculæ, ac Petri Piſcatoris percuſſum primo fuit, eodem Petri Naviculam gubernante. Poſtremas haſce monetas refert Tabula. *Florenus* enim quandoque pro temporum diverſitate ac viciſſitudine *Ducatus* & *Scutum* ſimiliter nuncupatus advertitur apud pleroſque, temere potius & inſcite, ut aſſolet, quam vere ac proprie; Etenim pondus alterius ab altero valde diſcrepat. Sed plura de his: Plura de *Sancto Joanne Baptiſta*, plura de *Lilio*, de *Regno Pontificio*, de *Orthographia Nummorum*, de *Signis* atque *Inſigniis gentilitiis*, hiſtorice, graphice, & luculenter quæ ad eruditionem ſpectant quaquaverſum, fuſius in Illuſtrationibus omnia, ubi de *Floreni Aurei* pretio etiam tractatur ordine chronologico, pluraque referuntur documenta, quibus aperte veritas comprobetur. Porro Operis contextus pluribus Nummis exacte delineatis refertus, ac pleriſque ex eodem Muſeo, *in quatuor partes* diſtinctus eſt, atque eæ *in Capita* dividuntur, ut lecturo commodum fieret, ac utilis quandoquidem ordo dicendi probaretur.

GIO-

GIOVANNI VILLANI,

E

GERARDO GENTILI

ISTORIA

DEL FIORINO D'ORO FIORENTINO.

A. D. MCCCXVII.

IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Tempore, quo Magnificus, & Nobilis Dominus D. Guido de Battifolle Comes Dei gratia in Tuſcia Palatinus erat pro Majeſtate Regia in univerſali Regimine Florentino, & diſcreti, & Sapientes Viri Joannes Villani, & Gherardus Gentilis Cives, & Mercatores Florentini erant pro Commuoi, & Populo Florentino Domini, & Officiales Monetæ Auri, & Argenti, & Legarum, ad quas pro dicto Communi cuduntur Monetæ, & diſcreti Viri Bartolus Fey, & Ganus filius Dietajuti erant pro dicto Commuoi Rimettitores dictæ Monetæ Auri, & Morellus Tommaſini, & Roſone filius Junctæ erant Sententiatores dictæ Monetæ Auri, & Lapus Ser Filippi erat pro dicto Communi Saggiator, & Approbator Monetæ Argenti, ſeu Legarum. Conſideraotibus prædictis Gherardo, & Joanne Domiois Monetæ prædictæ honorabilem Monetam Auri, quæ cuſa eſt, & facta in Civitate Florentiæ a principio ipſius factæ, & ordinatæ Monetæ uſque io diem præſentem, & conſiderantibus etiam communem Curſum, quem habet dicta Moneta Auri per univerſum Orbem Terrarum: conſiderantibus etiam, quod plures fuerunt in Orbe Principes temporibus retroactis, qui Curſum auferre voluerunt Monetæ Aureæ ſupradictæ, & eidem Mooetæ ſemper Curſus adcrevit: & attendentibus, & vere ex lamentoſis querelis quamplurium proborum, & expertorum Virorum de Civitate Florentiæ videntibus, & audientibus, quod de Dominis, & Officialibus, & Signis dictæ Monetæ, qui a die ipſius ioitiatæ, factæ, & ordinatæ Monetæ uſque in diem præſentem fuerunt, & facti ſunt, nulla in Communi Florentiæ ſupradicto reperitur memoria, quæ ſingulis ipſos videre volentibus pateat. Videntibus etiam Dominis ſupradictis, quod utile foret de prædictis Dominis Officialibus, & Signis præteritis, ac etiam de illis, qui erunt pro tempore, fieri pro Communi prædicto quodquam Regiſtrum, prænominatis Gherardo, & Joanne Dominis, & Officialibus Monetæ prædictæ, vigore eorum Officii ſupradicti imponentibus, & maodantibus mihi Salvi Dini de Florentia Notario, & præſeotialiter Scribæ pro Communi prædicto dictæ Monetæ, & de ipſis Dominis Officialibus, & Signis memoriam fieri infraſcriptam.

Infraſcriptum eſt Regiſtrum, & Liber continens Dominos, & Officiales dictæ Monetæ, qui reperiri potuerunt, & Signa, quæ fecerunt, ſeu fieri fecerunt in Moneta Auri, vel Argenti prædicta, ac etiam Signa repoſita in Florenis Auri coniatis in dicta Moneta, de quorum tempore, & Dominis, & Officialibus, quorum tempore facta ſunt, noo bene reperitur Memoria, & Scriptum per me jam dictum Salvi Notarium Monetæ ptædictæ de Mandato Dominorum prædictorum ſub Anno Dominicæ Incarnationis 1317. Indictioone 14. de Menſe Martii, &c.

In Dei Nomine Amen. Infraſcripta ſunt Signa in Florenis Auri coniatis per Populum, & Commune Florentiæ, de quibus, & tempore quorum Dominorum, & Officialium, & Signatorum, & aliorum Officialium dictæ Monetæ Auri oon reperiuntur memoriæ, ſeu libri per Dominos, & Officiales Monetæ prædictæ prædictos reperta per Gherardum Gentilis, & Jacobum Villani Domioos, & Officiales Mooetæ prædictæ &c. Re-

Reperitur Relatio quod ..... Lambertus de Antilla fuit pro Communi Florentiæ primus Officialis, & Dominus Monetæ Auri.

Reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe pro Communi Florentiæ ſine aliquo puncto.

1 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe pro Commune Florentiæ cum uno puncto al piede ſignatos.

2 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno duorum punctorum.

3 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe, & ſignatos ſigno trium punctorum.

4 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe, & ſignatos ſigno Viuole.

5 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Roſæ.

6 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe ſigno Spigarum.

7 Item reperitur Florenos Auri coniatos ſigno Ghiandæ.

8 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, & ſignatos ſigno Meli Aranci.

9 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno trium Floreorum.

10 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno unius Scudicciuoli.

11 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, & ſignatos ſigno Urcei.

12 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Bicchieris.

13 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Elmi.

14 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Coronæ.

15 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Mitræ.

16 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe, & ſignatos ſigno Ferri Equi.

17 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Seſtarum.

18 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe, & ſignatos ſigno Lilii.

19 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Martelli.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 20 fuiſſe, & ſignatos ſigno Bordonis.

Item reperitur Florenos Auri ſignatos 21 fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Staj.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 22 fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Arcus.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 23 fuiſſe per dictum Commune, & ſignatos ſigno Nicchi.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 24 fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Pontis.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 25 fuiſſe per dictum Commune ſigno Torricellæ.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 26 fuiſſe ſigno Barchæ.

Item reperitur Florenos Auri fuiſſe co 27 niatos per dictum Commune, ſignatos ſigno Alberuzzi.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 28 fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Crucis.

Item repetitur Florenos Auri coniatos 29 fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Rocchi.

Item reperitur Florenos de Auro coniatos 30 fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Melæ.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 31 fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Duomi.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 32 fuiſſe, ſignatos ſigno armæ Populi.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 33 fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Cerchi.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 34 fuiſſe ſignatos ſigno: unum O.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 35 fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Corni.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 36 fuiſſe, ſignatos ſigno Spadæ.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 37 fuiſſe, ſignatos ſigno Clavis.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 38 fuiſſe, ſignatos ſigno Bottonis.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 39 fuiſſe, ſignatos ſigno Raſtrelli.

Item reperitur Florenos Auri coniatos 40 fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Stregghiæ.

Item

Digitized by Google

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

41 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per Commune prædictum, ſignatos ſigno Peſciolini.

42 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe ſigno Trecciæ.

43 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Branchæ Leonis.

44 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Segonis.

45 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Trombarum.

46 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe ſigno Lunæ.

47 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, ſignatos ſigno Forbiciæ.

48 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Pinæ.

49 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, ſignatos ſigno Caroccii.

50 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, ſignatos ſigno Ruotæ.

51 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per Commune Florentiæ, ſignatos ſigno Crucis.

52 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Foliæ Vitis.

53 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Stellæ.

54 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, ſignatos ſigno Campanæ.

55 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Piſcis.

56 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Chiovi.

57 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Torſelli.

58 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Ceſoriarum.

59 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, ſignatos ſigno Olmi cum Foleis.

60 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, ſignatos ſigno Rapæ cum Foleis.

61 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe, ſignatos ſigno Paſtoralis.

62 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Coppæ.

63 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Cappelli.

64 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno Grilli.

65 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos ſigno cujuſdam Crucis, cum quatuor punctis circum circa Crucem.

66 Item reperitur Florenos Auri ſignatos per dictum Commune, ſignatos ſigno cujuſdam Ampullæ cum beccuccio.

67 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos cujuſdam - - - - -

68 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos cujuſdam puncti quadrati.

69 Item reperitur Florenos Auri coniatos fuiſſe per dictum Commune, ſignatos cujuſdam Trefogli.

70 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe in Moneta prædicta, ſignatos ſigno duarum foliarum quercis in quodam gambo.

71 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe in Moneta prædicta, ſignatos ſigno unius pannocchiæ Panichi.

72 Item reperitur Florenos de Auro coniatos fuiſſe in Moneta prædicta, ſignatos de duobus Cornis Cervii.

Hucuſque Johannes Villanius Hiſtoricus Celeberrimus ex ejus Codice autographo.

In Dei Nomine Amen Anno 1281. Indictione 9. Exiſtentibus

Guidus Cambii Falconerii) Tedicius Manovelli)	Domini Monetæ a die 8. Novembris dicti Anni ad Menſem Maji.	1281. Falconieri. Manovelli.
Ex Inſtrumento Ser Ruſtichelli de C. Florentiæ.		Ruſtichelli.
